PETRI VERDERII,

MEDICI, PHILOSOPHI

DE MORBORVM,

AC SIMPTOMATVM

OCCVLTIS MANIFESTISVE,

CAVSIS,

DISPVTATIO.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, M. DC.

Apud Rubertum Meiettum.

SERENISSIMO PRENCIPI VINCENTIO GONZAGAE DVCI MANTVAE, ac Montisferrati Fœlicitatem.

PETRVS VERDERIVS.

NON poterat Serenissime Princeps partus huiusce libelli de morborum periodis benigniori subsydere in hac luce oculos aperire, quam sub Præclarissimo tuæ Celsitudinis patrocinio: neque feliciori auspicio, ac nobiliori priuilegio manus hominum peruagari, quam sub Augustissimo tuo nomine: neque accommodatiori arcano, & suum, & meum desiderium significare, quam

sub

ſub Sereniſſimo VINCENTII nomine, Victoriam ſiquidem non de maleuolorum tantum obtrectationibus, uerum etiam ne temporis iniuria pro mei ipſius tutela, & pro neceſſariorum meorum expectatione, tui (vt dixi) nominis inſcriptione conſecuturum certò ſibi pollicetur. Iccircò optimo conſilio eſt actum: nam ſi te inter tot Principes, quorum ſplendore hæc noſtra refulget Italia, prę omnibus ad liberalitatem, ad gloriam, & ad cuncta immorlitatis monimenta natum enumerem: hoc mihi cum multis eſt commune: ſi uerò ad res bello, paceq; pręclare gerendas ab ipſo Deo delectum referam; hoc mihi cùm tota Germania, & Pannonia eſſe coniunctum neceſſe eſt. Verum quòd ad meos de te benèmerēdos affines ſic propēſus ſis; hoc cum ipſis tantum proprium, & præcipuum eſſe intelligo. Teſtes mihi fuerunt tres Ruffini Fratres, Reuerendus Ioannes Baptiſta pijſsimi animi tui in re Chriſtiana (dum uixit) miniſter: Reuerendus Vincentius, ac Solutor Medicæ facultatis vir peritiſsimus, & ſocer meus; apud quos cum de tua in ipſam Ruffi-

nam

nam familiam benignitate agitur, de summa rerum agitur; quæ sola in cæterarum rerum ingrato silentio nunquam silere potest. Num igitur solus ego inter ipsos animi mei erga te significatione carebo, cum cęteri pluribus, ac frequentioribus attestationibus suam erga te obseruantiam explicarint? En igitur libellus de morborum periodis candidi animi mei signum tuæ Celsitudinis benignas manus exquirit, vt hilari fronte excipiatur, & per luminis tui splendorem enitescat. Quod si feceris (vt spero, & opto) quæ in lucem editurus ero meliora fortasse, tuo etiam numini dicanda curabo. Vale.

IOA-

IOANNES MARIA ZONCA LETTORI.

AMICITIA, quæ mihi cum Auctore est, & societate, cum nos ambo Clodiæ medicam exerceamus artem, fretus, vbi primum hunc libellum vidi, eo inuito, edendum curaui. Ille, cum alter desit libellus hunc, & illum ne quid à te humanissimo Lettore desideraretur, vno tempore in animo imprimendo habebat. Verum, cum Verderius veritatem amet, ego hoc feci, vt prodessem multis. Veritas, nisi in hoc penitus patefacta erit, alterum propediem expecta, qui, si quid obscuri erit, aperiet, omnemque dubitationem tollet. Eo animo libellum quo à me editur, lege, tantumque virum, ac me ipsum dilige.

INCERTI.

SI ſenis illa foret Samij ſententia vera,
Artubus extinctos viuere poſſe nouis,
In te quis neget Hippocratem, vir magne, renatum?
Tantum corde ſapis, ſic medica arte vales.

EIVSDEM.

VERDAS, VERDERI, Sunt herbæ vere ſalubres,
Sunt ſucci, tales iſte libellus habet.

DE PERIODORVM MORBORVM, AC SYMPTOMATVM OCCVLTIS, MANIFESTISVE CAVSIS.

LIBER PRIMVS.

PETRO VERDERIO MEDICO PHYSICO AVCTORE.

PRAEFATIO.

CVM in medica facultate innumerę ſint difficultates, ob huius ſcientiæ immenſum pelagus, & rerum conſiderandarum præſtantiam: maximam tamen ſemper eam exiſtimaui, quæ ex periodorum morborum natura oriri ſolet, propter quam fortaſſe factum eſt, vt, aut nemo, aut pauci aliquid de ea, quod ſcitu dignum ſit ſcriptis cõ-

mendauerint. Multi enim fuerunt, qui præter simplicem rei medicæ explicationem, illas etiam, quas habet subiectum, difficultates attigerunt, circa quas medicina versatur: videlicet, de existentia, ac natura principiorum illius; de varia natura materiæ qua vtitur medica facultas, vt morbos expellat, ac sanitatem conseruet: nec non de aeris mutatione, cœli constitutione, alijsq; innumeris rebus, sed quæ sit causa, cur morbus aliquis hoc, non illo tempore suas in nostrum corpus exerceat actiones, à nemine, quod sciam, fuit ita clarè explicatum, vt veritas omnibus pateat manifestè. Neque enim Galenus ipse hanc rem tam abundè explicauit, quin aliquid desideretur. Quapropter cæteris omissis, hoc vnum mihi tantum considerandum propono: quam breuibus, quamque dilucidissimè explicare præcipuas causas, siue occultas, siue manifestas morborum, ac symptomatum constitutionibus periodicum ordinem seruantib. Vt autem ordine aliquo, ac conuenienti methodo hanc nostram tractationem constituamus, à magis communibus, ad maximè propria descendemus, & ab effectib. ad causas progrediemur; vt per effectus præcipuè in earum causarum cognitionem deueniamus, quæ in tanta huius rei difficultate ignotę sunt.

Quid sit in hac re considerandum.
Cap. I.

IN hac nostra tractatione, non morborum naturam, uel essentiam, sed eorũ mutationes statutum est considerare. Verum non quaslibet mutationes, sed illas tantum, quæ tempori sunt obnoxiæ, sumus examinaturi, & hoc non ita absolutè, ut quæcunq; alterationes, ac motus in morbis fiunt, sint huius tractationis propositum; sed illas alterationes, quę ut plurimum terminatum, ac certum circuitum retinent, dicimus huius tractationis esse subiectum. At cum non solum regulati motus, sed aliæ mutationes tempori sint subiectæ; de tempore, ac morborum temporibus communibus, ac etiam proprijs, prout nostro instituto inseruire possunt, primo breuiter aliquid attingamus.

Quid sit tempus. Cap. II.

TEmpus diuina res est, qui enim, & quasi æternitatis est imago, ut sapientissmus refert Plato. Nam quæcunque modo aliquo agitantur, illis omnibus moderari tempus solet: ita ut ipsum solũ durabile in uarietate esse uideatur. Est porrò mensurandi ratio, in earũ rerum uicissitudine, in quibus & principium, & finis reperitur: estq; numerus motus secũdũ prius, ac posterius, ut refert Philosophus. Quare dies, noctésq;, mẽses, atque anni, ex eo nati sũt.

In Timæo.

Ar. 4. phys. te. 101.

pueritia insuper iuuentus, ac senectus, somnus, & Vigilia, satietas & fames, hyems, æstas, fructuum productio, nutritio & maturatio ab hoc unico tempore ordinem sumunt: tandem quidquid est uicissitudini obnoxium, tempus subire necesse est. Morbus igitur, cum, quoties in corpus nostrum irruit aliquo inuadat motu; & omnia, quæ per motũ operentur sub temporis mensuram cadant; procul dubio tempori necesse est, ut subiectus sit. Quomodo uerò hoc cõtingat, nunc exponemus.

De temporum morborum consideratione.
Cap. III.

DOctissimus Gal. plurimis in locis scriptum reliquit morborum tempora tot esse, quot animaliũ sunt ętates, sed initio libri de morborum temporibus ita locutus est. Qualis res est animalibus differẽtiæ secundum ætates, tale mor-
„ bis sunt tempora. Verũ enimuero diuinus ante ipsum
„ Plato, Dialogo de natura ijs uerbis facundissimè, ut il-
„ lius mos est, explicauit. Omnis namque morborum
„ constitutio, inquit, animalium naturæ quodam modo
„ similis est. Sanè animalium compositio ab ipso genera
„ tionis exordio certis tẽporis curriculis terminatur, idq;
„ & genus uniuersũ patitur, & animal unumquodque ab
„ ortu uiuendi, spatium, in seipso, excepto necessarijs pas-
„ sionibus continet. Etenim tranguli ab ipso initio singu
„ lorum uim possidentes, usque ad certum tempus suffi-
„ cienter ad usum uitę cohærent: ultra id nemini uita
„ prorogatur: idem quoque constitutionis modus lan-
„ guoribus conuenit: quos si quis citra fatalem temporis

cur-

cursū amputare cōtenderit, ex paruis ingentes, ex pau cis multi euadere cōsueuerunt. Hactenus Plato. Auic autē primò lib. sui Canonis in quatuor ætates diuisit, quod etsi millies à Gal. dicatur, nihilominus ipsemet Galenus ostēdit, huius sententię Auctorē fuisse etiam Hippocratem; quoniam prima particula Aphorismorum, com. 15. animaduertit licet quod Hippocrates nō ponat expressè nisi tres ætates, quartam tamen sub illis tribus retineri, & ex his elici quatuor morborum ætates; ergo erunt etiam morborum tēpora ex Hippocratis, Platonis, Gal. atque Auicennæ sententia quatuor, cum tot ætates, morbo maxime proportionatæ sint, quæ spectant ad tempus. Morborum autem tempora hoc modo collocantur, ut primo loco sit principium morbi, secundo augumentum, tertio status, quarto, & ultimo declinatio.

Gal. lib. de mortem

Morborum tempora, quibus notis cognoscantur. Cap. IIII.

NOstrum institutum nō est in controuersiam reuocare, an morbi omnes tēpora omnia pertranseant: non est enim dubium, ægrū, qui in principio, uel uigore morbi decessit per omnia tēpora morbi nō pertransisse. Excitant etiam nōnulli dubitationes alias, an scilicet in synochis vigor ita lōgus possit à principio, uel augmentatione distingui: nā si cum iis conferatur, nimis producitur: alii dubitant; an re uera in morbis principium reperiatur: quidam tollunt declinationem: nonnulli in sex partes secant morborum tēpora. Sed hæc omnia exa [illegible] longum esset. Veritatem ergo so

lummodo mihi manifestandam propono, cum stylũ aliorsũ iam necesse sit uertere. Omnes igitur morbi, qui ad solutionem ueniunt, omnia iam dicta tempora habent, quæ tempora, non ex aliquo alio, quã ex cruditatis, ac concoctianis signo, quod per excrementa deprehenditur, distinguuntur. Quam rem in inflammatione, & apostemate membranæ subcingentis costas, facilè cognoscere possumus: sputum enim excrementorum, genus, ostendit principium morbi, si est crudũ, & tenue: augumentum autem dum crassius fit: statum uerò, dum concoctum apparet: postremò declinationem, dum minima portio, & hæc optimè elaborata excernitur. Quod dicitur de sputo dici potest de signis, quæ colliguntur ex urina, ex sudore, ex alui excrementis, & ex àlijs, prout natura morbi, parsq; affecta solent excrementa generare. Hoc igitur nobis sufficiat, ut statuamus morborum tempora ex cruditatis, ac concoctionis signis dignosci

Mor-

BIfariam diuidemus morbum(æc enim diuisio nobis modo inseruire potest) Alter itaq; morbus unica accessione longa uel breui terminari solet, alter verò per interualla finem attingit. De prior.morbi genere aliud nõ dicã,nisi hunc pertrãsire quatuor tẽpora, modo æger superstes euadat;de altero autẽ si sermo noster. Hoc genus subdiuidi potest in commune,ac proprium. Communes morbos appello febres, elephantiã, & his simile: proprios uerò eos dico, qui potius huic, uel illi membro, quam uniuerso corpori inhærent. Ab hac nostra consideratione non separamus symptomata, cum omnia, quæ certo curriculo sese in nostro corpore moueant à nobis speculanda sint. Hæ autem affectiones tales ferè sunt. Apoplexia, epilepsia, uertigo, hęmicraneum, nocturna cæcitas, fluxus sanguinis è naribus, è pectore, è gingiuis, à stomaco, ab hæmorrhoidibus, fluxus hepaticus, sudor repetitus, dolor podagricus, hischiarũ, articulorũ; lues uenerea, uomitus, & alia id genus, quæ exactius, atque fusius explicabimus in secundo libro, ubi de his particularibus affectionibus sumus tractaturi. Hæc enim omnia, uel sint morbi, uel symptomata, certũ habent curriculũ atque regressum. At non me latet plurimas passionum dictarum unico circuitu terminari, sed ipsas enumeraui, quoniam, etsi quãdoque unica accessione finem habeant, tamẽ sæpe euenit, ut per interposita tẽpora regressum faciant. Nunc ergo de communibus passionibus noster sit sermo.

los medicos ex recentioribus esse, qui quotianam reperiri febrē negent. Verum hanc dari necesse esse suo loco demonstrare conabimur, quod in presentia pro comperto haberi uolumus.

Quomodo fiat Quotidiana Febris. Cap. VII.

QVotidiana febris fit, quotiescunque humor pituitosus non amplius suam retinet syncceritatē, sed putredini obnoxius fit. Videndum itaque est, cur hoc humore ita putrescēte, & sigillatim sic de ceteris, talis fiat febris: quæ scilicet nō solum in reliquis accidentibus ab alijs differat, sed maximè in circuituum repetitione. Hoc enim modo nobis in primis inquirendum est. Negant nonnulli per circuitum humores moueri, dicuntq; motum, qui reperitur in humoribus, ita casu euenire: hac ratione utentes. Quidquid inferius mouētur, aut per superiorum corporum influentiam, aut per elementa, quibus illud idem constat, mouetur. A corporibus superioribus moueri non potest, quia eorum cursus tam citò nō fit, vt humoribus possit respondere, licèt sumatur tardissimus, nempe Melancholicus: Nam octaua sphæra centum peractis annis paulò tardius, uel citius unū Zodiaci signum persoluit: Saturnus totum Zodiacum triginta ferè annis percurrit: Iupiter duodecim: Mars, Sol, & Venus id unius anni spatio præstāt: Luna uerò uiginti septem diebus, tertiaq; unius diei ferè parte. Quare nullum dictorum corporū quo ad tempus cum humoribus conuenit. Horum enim motus, aut est quotidianus, aut alterius diebus, aut de quarto in quartum; pri-

mum ex pituita, alterum ex bile tertium ex melancholia circuitum aiunt proficiſci. Nullo igitur pacto ab aliquo corporum cæleſtium fieri poſſe regulatum motum in humoribus affirmandū eſt. Neque dicendum, vt nonnulli ſomniant, hanc periodicā humorum motionem non emanare à corporum cœleſtium motu, atque uirtute naturali, ſed à quadā fatali influētia, quam ſuſcipiunt à primo mobili: quod mobile primum ſua vi ſpatio vigintiquatuor horarum, non ſolum ſphæras cœleſtes ab Oriente in Occidentē ducit uniuerſas, & iterum reducit in Orientē; uerum etiam hæc omnia inferiora ingentis huiuſce primi cæli robore mouentur, agitanturque. Sed quomodo huic motui poteſt humorum motus reſpondere? Alius enim humor ſe mouet quotidie, alius de tertio in tertium, alius de quarto in quartum, & alius etiam cum alio interuallo, licèt id rarò contingat. At ne tempus in hoc conteratur, huic primo mēbro ego quoque aſſentior: non poſſe nimirum ordinē periodicum à corporibus emanare cæleſtibus: nec tamen cōcedo, ullo pacto fieri regulares circuitus in humoribus. Verum poſtquam in hunc ſermonē incidimus, hoc etiam addam: nempè, fuiſſe homines ita ſubtiles, ne dicam futiles, qui dixerunt, Solem pituitā mouere: cum, ut optimè norunt Aſtrologi, ipſe conſtituat diei naturalis uerum, ac legitimum interuallum: Nam Luna ſua uelocitate quatuor partes de quinque in quas diuiſa eſt hora, quotidie ſuo motu naturali amittit. Sed hoc ſuppoſito, neſciūt poſtea, niſi ſolis quibuſdam nugis inueſtigare alios motus in humoribus, quas, ne in his leuioribus immoremur, recenſere nō decreui. Alij dicunt, Lunam humori pituitoſo dominari; Saturnum atræ bili: Flauæ, Martem, & Solem, licèt non ita propriè: Iouem, & Venerē ſanguini. Nam Mercurium, humorem cui dominetur, proprium nō habe

re

re dicunt; quoniam ob aſpectuum diuerſitatem, ac Planetarum coniunctionem, proprium, temperamentum facilè mutat, ſede quorſum hæc? quomodo ex horum corporum cæleſtium natura, ac temperamẽto poſſunt circuitus humorum hauriri? Res ſit, ut iſti arbitrantur, Philoſophi ſanè hoc omnino reſpuunt à ſuis hypotheſibus. Sed ad quid hoc? non enim quærimus humorũ temperamẽta, ſed quomodo motus periodici ijs inſint, ſi tamen concedatur motus ab ipſis periodis ſeruari, nõ autẽ cur cęleſtes ſphęræ cum his in temperamento conueniant. Hanc ergo prouinciam ſatis ſuperſtitioſam relinquentes, ideò uideamus ſecundo loco, an per elementa fiat periodicus motus in humoribus. Videtur, dicunt iſti, ut quidquid conflui, periodicè confluat ut animatum quoddam. Licèt enim multa inanimata motu non careant, attamen non mouentur periodicè; ſed quando ab extrinſeco motore motum ſuſcipiunt, aut ſi per ſe mouentur, id contingit, ut ad proprium locum dirigant, ſe nõ autem, ut iterum periodicè agant. Elementa autem & humores, qui ex ijs orti ſunt, utraque inanimata eſſe conſtat: non poſſunt igitur moueri regulariter, & periodicè. Verum non eſt concedendum, omnia, quæ regulariter mouentur, ut animata moueri, immo verò, ut uidebimus ſuo loco, quædam etiam, quæ mouentur ab extrinſeco motore, regulariter mouentur. Sed nunc ſatis ſit, experientia, que cum contrarium oſtendat, non eſt dubitandum, ſed ſenſui parendum, atque credendum. Et ut ad rem accedamus, quorundam opiniones erunt in hac re perpendendæ, quæ forte dubitationem tollere uidebuntur.

Alia dubitatio.

Conciliatoris opinio.

Cap. VIII.

COnciliator dicit humores posse cõsiderari, uel ptout ad intrrnseca, uel prout ad extrinseca respiciunt: si ad intrinseca ob quatuor causas uelocius, uel tardius putrescunt, scilicet, ob Substantiã, ob Qualitatẽ, ob Quantitate, & ob Locũ. Ex his etiam, testimonio nonnullorũ Arabum, ut ipse refert, consurgit facilitas, difficultas, uelocitas, atque tarditas putredinis in humore; ex ijsdem etiam consurgit facilitas, difficultas, uelocitas, atque tarditas euacuationis eiusdem putridi humoris. Verũ superius dicebat, humores propria forma gubernari, ceu anima, sed non sempre æquè clare hæc gubernatio patens est; sicuti nec clara semper æquè est agitatio elementorũ in ijs humoribus existentium. At cũ fuerint a propria temperie remoti, tunc magis apparent differentiæ operationum. Dum enim optimam temperiem retinent animalium qualitates, tamdiu uirtute superna, atque elementari uidentur gubernari, & cum corpora optimè constituta nullam suscipiant impressionẽ, nisi illam regulatam, quam perenni motu cœlum in hæc inferiora transmittit, ideo minus apparent in sanis corporibus alterationes. Et hoc loco mihi uedeor videre, Conciliatorem ostendere uelle, actionem in animali uniformẽ esse, dum sanitate viget: Cum autem humores alicui sint putredini obnoxij, tunc vim cœlestem manifestus apparere: in ægrotantibus verò maxima cœlorum impressionem discerni; sed intelligendum de mutatione,

quæ

quæ fit ex aeris alteratione, prout ipse aer ab aspecti-bus superioribus alteratur. Alioquin esset in Conciliatore contradictio. Quoniam ex quacunque aeris mutatione, quæ ex diuersitate aspectuum cœlestium uidetur oriri, & ex diuersitate situs syderum corpora ægrotantia maximas mutationes ostendunt. Ex quibus postea concludit humores, qui in animantium corpore sunt, tamquam materia, se habere: corpora uerò cælestia, ut agens. Quoniam agens sine materia non ualet operari; nemo enim agit in seipsum, nec materiæ qualitates ipsius moueri, nisi per actionem cœli, ut agentis, possunt. Vnde cœlo operante humores periodicè per eius impressionem mouentur, quamuis iisdem humoribus aliquid superueniat extraneum, aut in Qualitate; aut in Quantitate. Actio enim fit in materia non naturali, quæ morbum facit. Quare post multa, & de cœlorum facultate, & de operationibus eorundem, & de connexione cum his inferioribus concludit, circuituum ordinem uariari secundum naturam, & qualitatem humoris, & secundum impressionem cœlestium facultatum; quibus videtur difficultates iam dictas soluere. Cum enim dicimus nulli cœlestium corporum motui, periodos humorum proportionari; dicendum est corpora cœlestia non secundum nudas eorundem proprietates, aut formas in hæc inferiora operari, sed elementorum, uel rei elementariæ interuentu; & cum ab elementis, atque cœlorum operatione talem formam humores habeant, ut ita possint ex intrinseca facultate moueri, propterea dicendum, cœlum in hos operari secundum eorundem dispositionem, atque naturam. Vnde uidetur soluere alteram etiam dubitationẽ cum dicit elementa, licet non sint, animata, ex eorum tamen mixtione tanquam ex materia, animata, ut cæ-

Alia dubitatio.

tera fieri: humores uerò, cum à propria forma uideantur gubernari (ut idem Conciliator inquit) possunt etiam ui cocurrente cœlesti periodicè moueri. Vel dicendum, necesse non esse, ut omnia quę periodicè mouentur, ab intrinseco principio moueantur, quod ego quoque affirmo, nisi prius à ui superiore fiat impulsio. Sed quoniam Conciliator acuti sanè uir ingenij, & doctrina eruditissimi, nimium remotas mutationum causas inquirit, cum harum precipuam ferè causam è cœlorum motibus, atque humorum forma ex sui sententia esse dicat: idcirco ipsam, pace tanti uiri, quibus potero rationibus refellere conabor.

Reprobatio opinionis Conciliatoris. *Cap. IX.*

POllicetur primo, se demonstratiuè ostẽsurum, humores periodo quadam moueri, quod etiam nonnullis ipsum præstitisse uisum est, licèt apud me non omninò discussum sit. Nam quod de uarietate circuituum, prout diuersus humor peccat, declarare conatur, hoc minimè demonstrauit, nisi per quãdã similitudinẽ elementorũ, & hoc ita obscurè, & ita, iudicio meo, lõgè doctũ, atque ad propositũ malè accommodatum, ut ita se rẽ habere excogitari uix possit, nisi omnia in humorum formam, ceu proprietatẽ uelit referre; per quã methodum, non solum in hoc negocio, uerum in unaquaque difficillima re, facilis esset de quauis ardua quęstione solutio. Sed cum huius ingenui uiri examinatio sit satis longa, nolo me in hoc diutius detinere, sed illud

tantum lectori conſiderandũ proponere, quod de fluxu, ac refluxu humorum dixit, ut ex hoc cætera cognoſcere ualeat. Primò itaque æquiparat pituitoſum humorem, tum Aquæ, tũ Lunę; dicitq; motum ſummere ab ipſa Luna, hoc autem ſic probat. Sicut enim in Luna ob epicycli paruitatem, inquit, non cognoſcitur ſtatio, non directio, neque retrogradatio percipitur (Hæ namq; Planetarum paſſiones pertinet ad motum) quia Lunam uelocem, uel tardam dicimus tantum, ſic in pituita modica quies comprehenditur, quæ ex Galeni, atque Auicennæ ſententia, potius apparens, immò falſa magis, quam uera dici poteſt. Sunt enim ſex horæ quietis, quod temporis ſpatium eſt, in quo Luna quartam partem totius zodiaci, aut cœli curſus peragit. Et quia pituita non poteſt Lunæ motum, & aquæ conſequi, dum ſemel totum cœlum Luna circundat, cũ minus uigintiquatuor horis id cõficiat humor; reaſſumit in quiete tot horas, quot ad uigintiquatuor horas cõplendas ſufficiant; & toties ſimilis paroxyſmi fit repetitio, quoties pituitæ naturam retinet humor: ſicut contra melancolia, cum ab aquæ, Lunæq; natura longe diſtet, ideo eiuſdem Lunę motibus non ita obediens eſt, ut maximè non reſiſtat; propterea non ſolum una cœli conuolutione opus habet, ut agitetur, ſed iterum atque tertiò neceſſariũ eſt, ut Luna redeat. Ex qua repetita motione tandem huius humoris craſſities, atq; terreſtris grauitas concitatur, & quia bilis in medio horũ eſt, ideo medio modo ſe habet. Pulcherrimas eſſe quidem non nego conſiderationes, ſed tamen ſine demõſtratione, atque neceſſitate. Delectant enim ob nouitatem cauſarum, ſed quomodo ueræ ſint nõ apparet. Ergo cum nimis cœlo attribuat, longeq; nimis cognitionem hanc ducat, ipſi Conciliatori aſſentiri non poſſumus. Euidentiorem autem rationem, magiſq; ſenſibi-

lem deberemus inquirere, quoniam tantum abest, ut inhis, quę asserit, conquiescamus, ut magis per ipsas an cipites simus; quomodo enim, ut cętera prætermittamus nunquam, aut nusquam respondebunt termini motus pituitæ, motui Lunæ diurno? Cum ipsa pituita, dum regulariter mouetur, semper eadem hora circuitus reperat (hęc enim est omnium medicorum sen tentia) Luna uerò quotidie uariet quasi unius horæ spa tio. Scio enim non solum in quotidiana febre, sed in alijs quoque generibus circuitus uariari ex aliquo exter no errore, aut in aere, aut in uictu, nec semper inuicē respondere. Sed hoc in Luna contingere non potest, quæ suum ordinem necessariò seruat sempiternum; secus autem in humoribus contingit, quos per superuenientes errores uariare sæpe uidimus, ut sæpius docuit Galenus. At dicet fortasse Conciliator; retardat humor ob crassitiem, & in quiete reassumit tempus, ut post uigintiquatuor horarum spatium, iterum motui Lunæ parere cogatur. Sed quorsum hæc? uir iste sapientissimus ex una parte tantum modo cęlo omnia tribuit, attamen ex altera surripere e cęlo quoq; omnia uidetur? Nonne hic ille uir est, qui ob unitæ syderū operationis cognitionem, atque ob aspectuū obseruationem, tam mira fecit, operante natura, ut etiam tanquā facinorosus à vulgo ignaro putaretur? Et nunc in syderibus aspectum diuersitatem, atque locorum mutationem ignorare uidetur, & quomodo in causa sint, ut omnia mutentur, agitentur, perturbentur, atque in contrarium euadant. Et cum hoc ex omnibus quidem Astrologis, maximè autem ex ipso, uideatur Lunæ conuenire, ut quæ nobis propinquior est, & à cæteris sphæris uirtutes quasi desumit, ad nosq; demittit, in hoc præcipuè uiget, ut humores summoperè agitet, hoc autem cum Luna præstat, non quidem id sequitur, ut asserit

Gal. 1. de diff. feb. 3. Secondo de diff. feb. c. 3. et alibi.

Con-

Conciliator, sed secundum aspectuum varietatem. Nō enim vllo pacto fieri potest; ut diuersitas aspectuum ita stabiles humorum periodicos motus reddat, sed dicet; non per cursum naturalem, sed per diurnum motum id pręstare Lunam. Verum neque hoc fieri posse uidetur. Fluxus enim refluxusq; maris ita Lunæ uim regulariter ostendit, ut nunquā ab ipsius Lunę diuturno motu recedat, ut aliàs fortasse ostendemus. An, si quod tanti est, efficere Luna potest, hoc idem in modica humoris quantitate præstare non ualebit? mouet igitur Oceanum immensum, & minimam humoris particulam mouere nō poterit? in unoquoque enim mari fluxus, refluxusq; à Lunæ motu prouenire constat, sed alicubi apertius, & alibi obscurius; ut aliàs speculati sumus: Quædam enim maria, prout quartam cęli partem peragit Luna, fluxū faciūt, & per alteram quartā refluxum: quædam uerò id idem præstant, prout dimidium cęli percurrit, quòd non solum oritur ex diuersitate situum, climatumq; distantia, sed ex primi mobilis concursu; Multò facilius igitur pituitæ motus Lunæ cursui cōformis ex prædictis esse debuisset, quòd omnino aliter apparet, sed de his satis. Dico ergo ueriorem causam inquirendam esse, ut in periodici motus cognitionem deueniamus, & cum ad medicum spectet rerum naturam potius cum Philosopho, quàm cum Astrologo indagare; Astrologia tamē in quibus conuenit non omissa; propterea, quid in re tam perplexa sentiat ipsius Aristotelis Commentator Auerroes uideamus.

Auerrois opinio.
Cap. X.

4. colle. 27. QVarto igitur libro Colliget, diuidit febres putridas in duas ſpecies, in continuas ſcilicet, ac intermittentes, dicitq; continuas ſin etypo eſſe, quia materia putreſcit intra uenas, licèt nonnunquã incrementũ a liquod habeant. Qui uerò humores extra uenas, uel, ut ipſe aſſerit, in membrorum digeſtionis ſuccis putreſcunt, hi typum habent. Cauſam autẽ propter quàm habent circuitum, hęc eſt; quia humor non putreſcit ſimul & ſemel immò putrefactionis apparatus non eſt abſolutè perfectus, ꝙ prius dixerat Galenus, tum de intermittenti, tum de cõtinua
5. differ. feb. c. 6. febre his verbis. At talis quidem putredo non ſimpliciter putredo exiſtit, ſed aliquid continet in ſe cõcoctio-
» nis, & paulatim ad putrefactionẽ procedit. Ex quo, ut
» inquit Auerroes ſequitur ordo, quia hęc operatio ſe-
» cundum aliquem modum eſt naturalis, eo quòd fit putredo, dum fit ipſa digeſtio, & hæc quidem operatio calori putrido ſimpliciter non eſt tribuẽda, ſed calori naturali operãti in materiam non bene diſpoſitam. Ex quo reprehendit Galenum acriter, quòd conetur oſtẽdere circuituum ordinem ſubſtantialiter, ut ipſe ait, ineſſe calori putrido, tanquam nõ intellexerit naturæ operationes, nec ea, quæ in primis Philoſophię principis traduntur, ſine quibus hæc haberi cognitio nõ poteſt: ita ille diuinum Philoſophum, & oculatiſſimum medicum redarguit. Verum de Galeni ſententia, atque doctrina, ne multæ in unum aggregentur quæſtiones, poſtea dicemus. Subdit itaque Auerroes de ſui ſententia,

naturā omnino agere huiusmodi circuitus, ex intrinseci caloris uirtute, licèt, in materiam non naturalem operetur. Neque humoribus superuenientem motum, qui ab eo appellatur accidens, a motu ciborum diuersum esse dicit, dum scilicet assumpto statim cibo rigores nonnulli superueniunt. Nec alia in ijs differētia reperitur, quàm quòd à cibo euenit, naturale est, quòd verò ab humoribus præter naturam, & ueluti hęc dicens, nihil dicat; affirmat tamen, rem in hoc tātum modo differre, ut altera motio sit naturalis, altera uerò præter naturam. Dicit denique typos, mobili, & uētoso humori magis, quàm fixo accommodari. Ex quibus multæ, mihi ex Auerrois sententia posse Cōclusiones deduci uidentur, sed quinque sunt præsertim, quibus circuituum in febribus afferre rationem conatur. Primo enim simul, & semel non putrescere humores, inquit, cum putredinis præparatio non sit perfecta. Deinde hanc operationē quoquomodo esse naturalem affirmat, quia natura in hoc regimen habet, cum putredo sit cum digestione. Tertiò hanc naturali operationem calori tribuit: quatenus in materia non naturali operatur; ut alijs etiam naturalibus in rebus sæpè contingit. Quartò ait operari naturā circuitus hos calore intrinseco, & proprio, licèt aliquid extra ipsam naturā calori superueniat intriseco. Quintò concludit, causam cur eueniant circuitus in febribus, esse humorum naturam, atque eorundem quantitatem; Quæ Conclusiones quantas pariant difficultates, nemo est qui non uideat.

Alia dubitatio.

Reprobatio opinionis Auerroys. Cap. XI.

QVomodo fieri possit, ut operationes putredinis in humore non compleantur, & quomodo ob eam causam periodos seruent humores nō uideo, neq; enim perfecta fit cōtinuis in febribus putredo, quoniam superuiuere animal non posset. Alia ergo inquirenda causa est; dicere autem, hanc esse per se naturæ operationem, maximum uidetur absurdum; Nam motus naturalis semper ad cōseruandum, idque per se insurgit, & si ad expellendum noxium aliquid se exercet; illud ui nocētis, & per quādam extrinsecam impulsionem facit, quæ ipsum motū irritat, neque uideo quibus in rebus (pace dixerim tāti philosophi, cuius doctrinam semper equidem admiratus sum) natura ad excitandam per se putredinē insurgat, ut uult in febribus fieri. Sed si quis dicat, putredinem à natura in semine excitari; semen enim dum propriam amittit, atque aliam formam assumit, corrumpitur, & hoc facit per se: sed quoniam id euenit, non ut noxiū expellatur, sed ut sibi simile generetur; ego quidem perfectionem hanc magis appellarem, quàm corruptionem. Si enim ita se res haberet, ciborum digestio, & eorundem in uentriculo corruptio una & eadē esset operatio, atque ad unum tenderent finem, & cum sciamus, digestionem à natura celebrari, ut chylus ad nutriendum corpus efficiatur; fieri nō potest, ut ab eadem per se cibus natura corrūpatur; essent enim corpus destruere; omniq; repugnare rōni. Sed erit ne circuitum causa id, quod ultimo loco dixit, scilicet humo-

morum naturam in cauſa eſſe, ut motus in circuitus uarietur? Ne hoc quidem à maximo illo philoſopho dicendum, cum hæc latibula ſint imperitis potius hominibus ſubterfugium, quàm ijs, qui arcana ſcrutari naturæ conſueuerunt. Sequeretur enim ex huiuſcemodi ſermone, aut pituitam eſſe bile calidiorem, aut certè ipſam bilem ab intrinſeco temperamento motũ non ſumere, quæ abſurda quanta ſint, unicuique facilè perſpicuum eſt: Si enim pituita ſingulis diebus mouetur, bilis alternis: quæ igitur, tardior etiam frigidior. At dicet Commentator, motus oriri ab intrinſeca forma, ſed hæc forma nonne deberet proprias paſſiones oſtendere? & in qua re, magis quàm in motu paſſionem deberet indicare? Proprietas enim formæ oritur à qualitatibus, cum primis tum ſecundis: neque tertiæ, neque ultimæ ita differunt qualitates, ut prioribus illis qualitatibus ſenſibiles proprietates conſtituentibus debeant repugnare. Auerroys igitur opinionem relinquentes, doctiſſimum Fernelium audiamus.

Fernelij opinio, & reprobatio.

Cap. XII.

VIR iſte ſumma eloquentia, ut ſui moris eſt, quandam communem opinionẽ, uel ſaltem multorum medicorum, qui illo tempore uigebãt reprobat, quæ talis eſt. Humores circuitum facientes prius corrũpi in uenis, inde in halitũ, aut ſudorem reſolui, & poſt eorundem reſolutionem remiſſam fieri inflammationem. Quæ opinio cum falſa ſit, atque inanis, facilè fuit Fernelio eam reprobare.

Alte-

Alteram quoque uidetur excludere, quæ est, pituitæ moris esse motum facere singulis diebus, bilis flauę tertio, melancholiæ quarto quoque die cumulari, ut naturam irritent, atque circuitus moueant, quàm opinionē cum Fernelius reprobet, eam nobis hoc tempore examinare necesse nō est. Sed hoc fortasse alibi faciemus. His peractis, suam profert ipse sententiam, quæ parum, aut nihil ab ea, quàm attulit Commentator differre uidetur. Quod enim Commentator tribuit humori, vt humor, Fernelius ipsi tribuit, ut putridus est. Hæc autem sunt Fernelij uerba. Non igitur sola excrementi copia, sed alia quędā uis maior necessariò unumquēque humorem ordine, certaq; regula ciet, ac impellit.
» Quænam est tandē huiusmodi uis? Subdit Fernelius.
» Hæc autem est contractæ putredinis; qualitatisve natu-
» ra, atque conditio, quæ omnem corporis statum natu-
» ralē immutat, ut Epilepsiæ insultus, aut Hydrophobiæ
» impetus, non humoris genus, sed qualitatis natura in
» humore sita excitat. O magnum arcanum, ò pulchrū philosophandi modum. Eritne hoc fortassis principiū indemonstrabile, aut per se notum? Quiescendum igitur est, si satis sit cognoscere per quandam proprietatē humores moueri, & hanc esse occultam. Sed cum Fernelius his abditis qualitatibus nimium tribuat, ut patet cum de Epilepsia sermonem habet, cuius causam contra Galenum, & omnes ferè medicos disputat, ut occultam esse ostendat: & cum nos intra arcanorum caligines, quantum fieri potest consistere recusemus: propterea quid Auicennas sentiat, & an apertius loquatur, conspiciamus.

Aui-

Auicennæ opinio. Cap. XIII.

SEntentia Auic. vt mihi videtur, non discrepat ab ea, quàm hac de re Galenus attulit: quare hanc de ipsa mentionem non facerem nisi quædam mihi Cōciliatoris uerba occasionem præberent: inquit enim ex Auicennæ, & Gal. cōmuni ferè sententia. Si superuenit caliditas ad motū putredinis, quòd subtile est expirat, atque resoluitur, sed remanet tamen incineratum, atq; terreum aliquid, quòd uehiculum non est caliditatis, neque febris, ut apparet in stercorum, quæ incenduntur cumulis; cum autē superueniens noua causa, ad putredinis minerā concurrit, & reliquias inuenit, ex putrefactione præcedenti, inflammatur denuò, ut in calce aqua conspersa contingit, ut perduret, quousque causa antecedens amoueri possit: hoc est, quousque humores, qui tanquā causa antecedens in uniuerso corpore sunt, fiant, sicuti materia, uel causa coniuncta, apta ad putredinē, & in loco affecto inflammentur. Ex quo uidetur Conciliatorem non solum intelligere ibi dispositionem, ut vult Auicen. (vt infra videbimus) & Galenus ad facilitandam putredinem illius humoris, qui ad focum cōcurrit; sed etiam incinerati reliquias humoris ibi manere, quę per superuenientem humorem iterum (vt in calce fieri solet) possint incendi: cum nihilominus Galenus apertissimè doceat, nullum adeò crassum humorē esse, ut post ebullitionem aliquid, quod sit notatu dignum relinquat, quę enim terrestria admodū sunt, ut ligna, & stercora, cum ab igne cremantur, aliquam certè notabi-

Lib. 4 f. 1. l. 2. c. primo.

Diff. 88. Primo diff. feb. c. 5.

Gal. 2. de diff. fel.

tabi-

Recentioris ſcriptoris opinio.
Cap. XIIII.

DEcreueram equidem nullo pacto in hac ſpeculatione quenquam ex recentioribus nominare; cum omnia ferè, quæ hac de re dicta ſunt, ad ea, quę ſuperius ſunt adducta referri poſſint. Verum dum hæc ſcriberem, ad manus meas delata fuit de febrium periodis nuperrimè in lucem edita diſputatio, quàm cum auidiſſimè legerem, non ſolum ſummi uiri ſummam doctrinam, ſed etiam optimi philoſophi modeſtiam ſingularem deprehendi. Itaq; negotium hoc omittere cogitabam. Cæterum cum partes Philoſophi ſint, unicam ueritatem continenter tutari, cõſtitui de opinione excellentiſſimi recentioris aliqđ examen habere, cũ talis ſit, qui licèt decreta impugnet aliena, non tamen eos iniuria afficere arbitratur, qui de his aliquid ſcriptum reliquerunt, iure meritò decreui cum tanti uiri opinio, & noua ſit, à meaq; diſſentiat, ijſdem de rebus eadem, qua ipſe cum alijs uſus eſt modeſtia pertractare, neque eius ſcriptis aliquid iccircò detrahendum mihi propono, ſed ſi quid proprijs laboribus, ut profitetur, adeptus eſt, hoc ſibi libenti à nobis animo concedatur. Cum verò in re literaria talis philoſophandi libertas ſit, vt vnuſquiſque, quidquid in ſenſu ſuo libuerit, dicat: mihi ſatis erit, meam ſententiam afferre, & ipſam corroborare. In hoc ergo excellentiſſimi huiuſce viri ratio conſiſtit, quæ eſt, quoniam cum talis ſit uniuſcuiuſque humoris conditio, ut alter altero propenſior ſit ad accẽſionem, hoc maximè uidetur ineſſe, ut qua in ſede putridi humoris fiat collectio, in ea-

Io.Tho. Minad.

dem maneat coinquinamentum, quòd citius, aut tardius poteſt denuò humorem acetuatum incendere, pro ut illud ipſum coinquinamentum à diuerſa humoris ſpecie exordium habet. Inquinamentum enim inquit, quod melancholia in foco, ſeu in minera putredinis relinquit, illius imbecillitatis, illius inualiditatis eſt, ut nō antea poſſit eam copiam nouæ melancholiæ materiæ congerere, quæ nouum excitare queat paroxyſmum, quàm ante diem quartum; & inquinamentum, quòd pituita, quæ hodie paroxyſmum fecit, relinquit in affecta particula, in ipſa minera putredinis, tantæ uehementię, ac tantæ actiuitatis eſt, ut non tardius admittat eandem materiæ pituitoſæ copiam colligi, quæ poſſit paroxyſmum innouare, quàm ſequenti ſtatim die. Et quòd ab eo de duobus humoribus dictum eſt, de tertio etiam dicit, qui ueluti medius eſt. Hoc autem tum antiquorum medicorum, tum Galeni auctoritate præcipuè probare conatur. Sed ut uerè dicam, ab hac mihi diſſentire opinione neceſſe eſt; multa enim ex eius aſſenſu incongrua, multa abſurda ſequerentur, quæ quidem, cum vlterius progrediendum ſit, non ſingulatim omnia recenſebo; ſed quædam tantummodo, quæ ad rem magis facere videbuntur attingam.

Supra-

Supradictæ opinionis discussio. *Cap. XV.*

PRimum dicimus coinquinamentum, de quo agit, aut nullam, aut insensibilem in periodis afferre alterationem, quia si ob pituitæ uiscidıtatem, coinquinamẽtum, quòd ab ea fit, tale est, ut possit sequenti die paroxysmum, qui hodie factus est, renouare: ergo ob eandem viscidıtatem, atque coinquinamentum, longior deberet esse paroxysmus, quàm qui fit ex atra bile. ratio est: quia ob viscidıtatem, in qua calor est præter naturam, diutius habet propriũ pabulum, quàm in materia melancholica, quę magis dici potest crassa, quàm uiscida: & hoc non particularibus in accessionibus fieri solum deberet, sed etiam in morbi tempore uniuersali. Focus enim in melancholicis febribus (ex huius viri sententia) à coinquinamento alteratur minus, & materia minor est, ut omnes fatentur; breuior ergo deberet esse morbus, quòd tamen est sensui, & ipsi ueritati repugnans. Præterea ex Galeno in eo capite citato a viro excellentissimo gratia corroborandi suam sententiam, omnino contraria colligere possumus quoniam clarissimè demonstrat, non semper illud coinquinamentum relinqui, quod est in causa uelocitatis, aut tarditatis in regressibus circuituum: hoc.n. inquinamentũ, aut est aliquid, quod super existit, postquam humores fuerunt assati, aut est aliqua mala qualitas: fieri tamen rationabiliter potest (quòd etiam dicitur à Galeno) ut neque in secunda, neque in tertia periodi regressione, pars, quòd supersit, aliquid habeat, & etiam, ut pars non statim in omni febrium genere affi- *Li.2.dif. feb.c.11*

2.dif.fe. ciatur, ut his apertè Galenus uerbis inquit. Et feruen-
c.citato. tibus ex putredine humoribus à caliditate extenuatis,
» eorundem ſubſtantia, cum febres conſiſtunt, atque de-
» clinant in ambientem aerem diſſipatur; ſuperfluitas au
» tem, uel exigua admodum remanet, uel nulla: in craſſio
» ribus quidem pauca, in ſeroſioribus uerò nulla. Po-
» ſtea ſubdit. Quòd ſi nullam imbecillitatem pars inflam-
» mata contraxerit, neque iterum ſuperfluitates immittã
» tur, ægritudo finitur. Inde dicit. Quòd ſi denuò ob
» eandem cauſam, ob quàm primæ etiam miſſæ ſunt, aliæ
» immittantur, ſola autem remaneat potentiæ imbecilli-
» tas, hominem ſecundo febricitare neceſſe eſt. Si ergo humor eſt ſeroſior, ut Galeni uerbo vtar, nullum remanebit coinquinamentum; licèt poſſit fieri regreſſus ex ijſdem Galeni uerbis. Dicit enim. Quòd ſi denuò ex eadem cauſa, per quàm primæ tranſmiſſæ ſunt ſuperfluitates, aliæ etiam influant, neceſſe eſt iterum febrire. Ob eandem igitur cauſam, hoc eſt ob copiam humoris fluentis, nulla contracta mala qualitate in membro, aut nullo ibi exiſtente coinquinamento ex ſupraaſſato humore. Sonant enim hæc uerba; (Quòd ſi denuò ob eandem cauſam) tanquam inferre uelit: prima enim vice neque pars erit imbecilla, neque aliquid ibi aderit ſuperfluxionis. Sed concedamus hoc coinquinamentũ aliquid (quamquam quomodo id fieri poſſit nõ uideo) ad periodicum ordinem conducere, ſtetq; poſitio quàm affert, non habemus tamen quòd quærimus, fieri enim poteſt, ut per ipſum cognoſcamus, cæteris citius humoribus pituitam moueri, melancholiam tardius, bilem autem medio modo; ſed cur quotidie pituita, quarto quoque die melancholia, de tertio in tertium bilis moueatur, hoc tantum abeſt, ut determinatum hoc ſpatiũ temporis oſtendat, ut ſi quis hoc ignoret, neque per ſpeculatiuam, neque per practicam cognitionem, vnquam

exco-

excogitare valebit veritatem. Postremò dicimus, hanc positionem omninò esse superfluã, cum sufficiat (quod & ipsemet auctor ponit) copia humorum ad faciẽdum regressum; & si coinquinamentum aliquid præstat, hoc non in ordinem periodorum, sed in morbi originem referri potest. Verum, cum hoc sit mihi clarius suo loco demonstrandum, quæ dicta sunt in præsentia sufficiant, tempus enim est, ut ipsum Galenum audiamus.

Galeni opinio. Cap. XVI.

COgnoscens Galenus huius rei maximam difficultatem hac verborum serie locutus est. Mirum mihi uidetur, quomodo in ijs (scilicet febribus synochis, ita enim hoc loco appellat continentes febres omnes) vnam plerumque accessionem vsque ad quartum uel quintum, sæpius autem usq; ad septimum diem, ab eorum initio donec finiatur extendi. Quanquam si quis diligentius inspiciat, maiorem illi admirationem inferre, in quibusdam febribus per circuitum fieri accessiones. Quod enim supra attulimus de stercore exemplum, quod paulatim putrescit in animalis corpore, non admodum fieri posse videtur, cũ putrescentes humores, ijs qui putredine uacant, possint facilè commisceri, vtpotè, ex omnibus ad omnia conspiratione, ac confluxione existente. Vnde fieri non potest, ut putredo nunc unam, nunc aliam occupet partẽ, nisi inflammatio incipientem humorem putrescere alliget, atque coerceat. Subdit postea. Quoniam igitur ad contrariam partem ratio se transtulit, difficilius est earum febrium, quæ per circuitum accessionem faciũt, causam inuenire, quàm earum quæ synochæ, idest continen-

2. de dif. feb. c. 11.

1. dif. fe. cap. 5.

tinentes dicuntur: de vtrisque tamen tentabimus sermonem attingere. Hactenus Galen. Ex quibus uidere possumus quanta sit huius rei difficultas. Verum cum ipsum habeamus Galenum ducem, nulla prorsus ardua deterrere nos potest difficultas: ipsum igitur audiamus, qui sic exorditur. Lippitudines nõnullę quotidie, nonnullę alternis diebus magis infestant. Similiter aurium dolor, atque articulorum. Sed hoc ostendit in multis alijs affectibus, quibus in omnibus venas in ijs partibus, quæ exacerbantur, inspicere licet, in tumorem attolli, atque inflammationem augeri, dolores intendi, & inutilis affluxum materiæ ad extrinseca fieri: ita & in interioribus, quæcunque eandem non uidentur portionis seruare similitudinem, concipiendum est. Quo autem pacto id accidat, & quænam huius sit ordinis causa, explicare conatur, cum iam per euidentissima exempla ita se rem habere ostendisset: quòd ut manifestet, duo supponit. Primò, quatuor esse naturales facultates: Attractricem, Retentricem, Concoctricem, & Expultricem. Secundò, duplex extraneum & præter naturam in corpore esse: alterum quòd sua qualitate, alterum quod sua quantitate extraneum est. Quòd quidem extraneum, contingit ex imbecillitate, aut supradictarum facultatũ naturalium vigore magis & minus coaceruari. Cum.n. facultates fuerint valentes, & meatus per quos inutilis materia transmittitur, secundum naturam se habuerint, tunc omnia in sanitate consistunt; quòd si exempli causa expulsiua virtus valida fuerit, & id quod assumitur, fuerit plusquam possit à concoctione alterari, ipsa extra corpus propria uirtute superfluum expellit; Quòd si imbecilla fuerit, in eodem remanet loco, si copiosa aggrauat, si acris mordicat: sicuti calidum calefacit, & siccum siccat. Et cum partes, quæ ualidiores sunt, semper ad debiliorem noxia expellant, & hæc ad aliam magis imbecillam,

cillam, & ſic tandem ad maximè imbecillam, hinc patet inutilem ibi ex neceſſitate materiam conſiſtere, cum neque ad fortiora relabi poſſit, neque maximè imbecilla pars ob tantam imbecillitatem à ſe, quòd noxium eſt expellere queat. Ideò fluxionibus, inflammationibus, eryſipelate, atque alijs eius generis morbis, hæ partes extremæ in corporibus cacochymis ſuppoſitæ ſunt. Vnde mirum non eſt, ſi cerebrum, uel ſuperior pars capitis vniuerſa, cum aliquando aceruatam in ſe habeat ſuperfluitatem ad partes imbecilliores tranſmittat; ut ad dentes, ad aures, ad gingiuas; & ſi harum fuerit imbecilla partium nulla, ad thoracem, ad pulmonem, ad ſtomachum delabi neceſſe eſt. Ita etiam in hepatis, ac ſplenis inflammationibus contingit, quas uicinæ aliquę partes, uel etiam remòtiores, una uel plures ex ijs generant, augent, immutant, atque per circuitum exacerbant. Quare non eſt cur miremur, ſi ad hepar etiam inutilem contingat materiam tranſmitti, & ex huius fluxione ipſum inflammari, febreſq; accendi, & quoties fluxiones mouentur, toties febres vegetiores fieri; ſed non ſolum ex fluxa ad imbecillam partem materia, inflammatio fit, atque augetur; verumetiam ſi propter eandem partem inflammatam humor attrahatur, & hoc quoniam pars illa, ad quàm fluit materia, dum ex noxij humoris præſentia inflammatur, vi caloris, quem inflammatus generat ſuccus, denuò ad ſe attractionem parit. Nemini.n. dubium eſt, quemadmodum ipſe ſæpius demonſtrauit Galenus, cum caloris proprium ſit attrahere, ſicut & doloris, & motus; quare ſi in membris inflammatis dolor, ut ſolet fieri calori addatur, compertum eſt fluxionem augeri. Verum non eſt ignorandum, fluxiones maiores, minoreſq; fieri, uel ob copiam materiæ, uel ob robur imbecillitatemve membri mandantis, & ſuſcipientis, atque ob motuum impedimenta, ac reſerationem; vt exem-

exempli gratia, ſi membrum ſit mittens robuſtum, materia pauca, atque tenuis, uiæ latæ, & membrum ſuſcipiens ex robore ſuo minimè reſiſtens; fluxio fit facilis, atque membrum mittens à noxio ſeſe exonerat humore. Contra verò, ſi membrum demittens in expellendo minimè ualidum ſit, viæ per quas humor tranſit anguſtæ, humor craſſius & frigidus, membrum ſuſcipiens robuſtum, dubium non eſt, quin tardiſſima & difficillima fiat expulſio; ſi autem medio ſe res habebit modo, medio modo humor quoque expelletur. Sed cum hæ ſuperfluitates aliqua diu quieſcunt in parte, non ſolũ putreſcunt ipſæ, verumetiam ipſum, qui membro inſidet ſanguinem, putreſcere neceſſe eſt. Sin autem non ita quieſcant, vt potentiam lædant, propriamq; temperiem non omninò diſſoluant, tunc læſus media ex parte redditur ſanguis, tantumq; in ſua natura perſeuerat, quantum non eſt à ſuperfluitatum uicinitate in putredinem raptus: at cum putreſcit ſanguis ſimul cum ſuperfluitatibus, aut omnino, aut aliquo modo (præterquam ubi naturalis calor eſt acrior) tamdiu creſcit, atque perdurat, quamdiu ſuperfluitates, quæ ipſo cũ ſanguine ebulliunt, adaugentur, deſinitq; cum omnino fuerint aſſæ, & conſumptæ; (atque ut ſupra dictum eſt) veriſimile videtur parum, aut nihil reliquiarum ex humoribus poſt aſſationem remanere; vt fit in oleo, quod ſi poſt primam pars aſſationem, uel reſolutionem nihil contraxerit imbecillitatis, neque denuò fuerint ſuperfluitates demiſſę, iam ægritudo finitur: quòd ſi iterum eandem ob cauſam, propter quam primò ſuperfluitates demiſſæ ſunt, aliæ quoque demittantur; aut ſi neque hæ quidem mittantur ſola verò ob præcedentem fluxionem in parte remaneat imbecillitas, hominem iterum febricitare neceſſe eſt; cum ſcilicet eadem ex imbecillitate fluxio fiat. Non enim imbecillum humores regulare membrum

poteſt.

poteſt. Præterea fieri poteſt, ut licèt non imbecilla pars ſit, fluant tamen iterum, atque iterum ad ipſam ſuperfluitates, prout alibi generantur: & euenire poteſt, ut quæ particula primis temporum motibus non erat imbecilla, talis poſtea fiat ob ſuperuenientem excrementorum qualitatem. Quæcunque enim per circuitus aliquos ægritudinum accesſiones fiunt, ex membrorum diſpenſationibus ortum habent; quia ſcilicet ſuperfluitates uel mittunt, uel ſuſcipiunt, uel generant, uel attrahunt. Hæc eſt Galeni porrò ſententia, non quidem ita copiosè, atque facundè, ut ipſe proprio loco facit explicata, ſed clara tamen ſatis, ut arbitror, & manifeſta. Quæ ergo dixit Galenus, ita rectè, ita clarè, ita propriè dicta ſunt, ut nihil addi poſſe videatur. Sed quid? habemusne quod quærimus: oſtendit quidem Galenus febres per circuitus fieri, & quomodo periodi fiant: ita apertè demonſtrat, ut aliud non ſit ijs temporibus dubitãdum. Sed cur aliqua periodus ſingulis, quædam alternis, aliqua quarto quoque die oriatur, non oſtendit. Vt igitur hæc obſcura difficultas eluceſcat, ſententiam noſtrã in medium afferemus. Fas eſt enim unicuique, in re dubia, & quę adhuc ſub iudice ſit, cum ueritatis ſit amator, autoritatibus, ac ratione nixus, iuxta proprias vires aliquando philoſophari. Quod vt conſequi facilè valeamus, altius eſt aliquanto nobis repetendum.

E Ele-

Elementa suppeditare materiam corpori humano.
Cap. XVII.

Gal.2.de diff. ele. COrpus humanum ex humoribus, tanquã ex materia constare, ambigere neminẽ arbitror. Etenim, quatuor elementa, vel qualitates potius, ut philosophus affirmat, uirtutesve elementorum esse ipsius corporis materiam non est dubitandũ.

Arist.2. de part. ani.1. & 4.met.3. 2.de gene.et corruptione tex.49. Cum idem firmissima ratione ostendat, non solum elementa similium partium esse materiam, sed ex ijs, ut ex materia omnia naturæ opera constare, pluribus rationibus, & quàm diligentissimè comprobet. Hæc eadem elementa similarium partium, & similares dissimilariũ gratia omnes esse fatentur. Verum quomodo hæ fiant partes, quomodo restaurando deperditum, & seipsas augumentando in statu maneant: quid sit, quòd ipsis, ut nutriantur materiam suppeditet: hæc omnia humoribus sine controuersia attribuenda sunt: qui quasi prima elementorum scaturigo uidentur unicuique corpori inesse. Hominem igitur, sicut etiam ipse testatur Galenus ex his omnibus constare fatendum est. Hæc autem cum ab ipso naturæ exordio ita constituta sint, & cum nostra consideratio circa subiectum ex his formatum, hoc est hominem iam in lucem editum, & à natura subornatum, versetur: ideo, quot, & quinã hi sint humores, ac quomodo ipsum humanum corpus nutriant, uidendum est; cum vniuersam animantium naturam ijs ad proprium vti nutrimentum perspiciamus. Quomodo autem hoc sequatur: quisnam humor nutrimento sit magis aptus: & quibus instrumentis generetur: qua ex materia hoc idem nutrimentum constitutum sit,

hoc

hoc loco à nobis disserendum est. Ijs enim cognitis, quòd modò est incognitum, fortasse facilè apparebit.

De humoribus, & an solus sanguis nutriat. Cap. XVIII.

AD omnem profluentem substantiam humoris nomen plenè est accommodatũ, ut quidquid in corpore profluentis, & liquidi reperiatur, siue sit chylus, siue mucus, siue sputum, siue vrina, siue sudor, siue sanguis, siue pituita, siue bilis tàm flaua, quàm atra, sub humoris nomine appelletur. Sic enim definitur; Humor est corpus humidum fluidum, in quòd in primis nutriens conuertitur. Quòd verò in corpore fluidum est, humor ne in uniuerso sit, valeatq; nutrire; an verò quatuor tantum humores, quatuor elementis respondentes: an aliquis horum vnus, puta sanguis, inquiramus. Mucum, sputa, & alia excrementa non nutrire fatentur omnes; sed dubium est de ueris humoribus; idest de sanguine, pituita, ac utraque bile, in hac re multæ sunt dubitationes: quidã enim solum nutrire sanguinem dicunt: quidam pituitam excludunt: quidam atram bilem. Sed aut omnes humores simul nutriunt, aut solummodò sanguis, nisi ex Aristot. sententia pituitam inter excrementa connumerari quis ponat. Quærit enim philosophus cur nonnullis pituitosis in morbis immodica Venus commoda sit. Respondet verò, cum seminis euacuatione multam etiam excrementosam materiam euacuari: tum subdit. Pituitam autem excrementum esse nulli dubiũ est. Pituita igitur cum sit excrementum, corpus minimè nutrit: ergo de tribus tantum humoribus erit inue-

Auic. *4. par. Prio. Pro. 17.*

ſtigandum, quis horum faciat, & quomodo fiat nutrimentum. Sed rectè intelligendus eſt philoſophus, per morbos enim pituitoſos, omnes intelligit diſpoſitiones, quæ ex frigido, atque humido, quocunque modo accepto humore, oriri ſolent; non autem pro legitima pituita. Hoc etiam modo quandoque agit Galenus, alicubi enim quidquid humidum, ac frigidum eſt, pituitam appellat; alibi uerò omne craſſum, ac frigidum excrementum, ut mucum, atque aliud huic ſimile, à pituita ſeiungit; dicens. Eſt ſanè pituita ſuccus crudus, & frigidus, non tamē craſſus, ut qui humiditatem multam habeat, & ſpiritum flatuoſum. Superius uerò ſuccum craſſum, ac frigidum, ſuccum crudum abſolutè nominauerat. Sed eò unde diſceſſimus reuertentes, uideamus ſolusne ſanguis, an quatuor nutriant humores. Et cum quatuor humores dicimus, illos intelligimus, qui ab alijs fluidis ſuperfluitatibus, quæ etiam humores aliquādo appellari ſolent, ſeiunguntur. Hæc difficultas uidetur originem duxiſſe ex recepta à philoſophis omnibus propoſitione; nempè, omnia à ſuo ſimili conſeruari. Cum autem ſanguinei animalis particulæ ex matris ſanguine genitæ, atque in vtero uſque ad ipſius exitum nutritæ, & auctæ ſint, ſanguine ſine dubio in reliquo etiā uitæ ſpatio debet animal ipſum nutriri. At cum hic ſit pituitæ geminæq; bilis particeps ſanguis, non ſine ratione hæc orta eſt controuerſia, ſolusne ſanguis, an quatuor humores nutriant, cum utraque poſſit ſententia conſiſtere, ut in uerbis potius, quàm in re contentio ſit. Solus quidem ſanguis nutrit, at non ut humor particularis, ſed ut pituitæ, ac utrique bili participans. Ergo quatuor etiam humores nutriunt, non quidem vti ſeparati à ſanguine ſunt, ſed ut in ſanguine reperiuntur, quā rem in lactis exemplo apertè Galenus oſtendit. Sicut enim lac unum uidetur, (vt inquit) cum unum re vera

De cau. mor. c. 6. et de ali. fac. 2.

L. C.

non

non ſit: ſic ſanguis unus uidetur, cum unus tamen non ſit. Lac enim in caſeum,& ſerum ſeparatur, ex qua ſeparatione, ſubſtantiæ diuerſitas apparet. Similiter ſanguis non eſt exquiſitè unum, quia dum extra corpus refrigeratur, in ſerum, craſſum, ac fœculentum humorē, atque etiam in ipſam pituitam tranſire ſæpiſſimè uidetur. Huiuſcemodi enim ſanguine animalium corpora nutriuntur. Sed alia ex hac poſitione non mediocris inſurgit difficultas. Si enim omnis corporis particulæ ſanguine nutriuntur; ad quid pituita? ad quid bilis tùm flaua, tum atra? Hi namque humores, quaſi primarum qualitatum propagines, licèt ſegregati à ſanguine intra corpus ex uſu, ut ipſum alant, aut in mixto aliquid præſtent neceſſe eſt, tùm circa generationem, tùm circa auctionem,& circa continuum etiam nutrimentum. Sed ſi ſolus ſanguis, eo quo dixi modò, acceptus, præſtare hæc omnia poteſt; ad quid cęteri humores? num fruſtra erunt? fruſtra enim Deum & naturam omninò cōpertum eſt non operari. Vt autem hæc è medio tollatur difficultas, quid in generatione quatuor humores, quid in accretione, quid in animalium nutrimento prę ſtent, uidendum eſt. Nam ſi neque bilis flaua, neque atra, nec pituita ad nutriendum ualent, aliud fortaſſe præſtare poſſunt; quinimmò circa nutrimentum aliquid agunt. Qui negant dari qualitates, aut qui admittunt eas quidem, inalterabiles tamen eſſe uolunt; ij de generatione, aut accretione, aut nutrimento, aut de aliqua alia naturæ operatione, aliquid quod rectum ſit pertractare non poſſunt. Nam corpus ex eorum ſententia omninò immobile eſſet, cum mutari minimè poſſet. Nunquam enim ex Philoſopho, atque ipſa experientia corpus mutatur, niſi moueatur,& alteretur: Si enim ex calido frigidum fit, aut ex albo nigrum, moueri neceſſe eſt. Et ſi mouetur, per illas qualitates

Dub. *Solut.* *Poſt præd. c. 4* *4. Phyſi. tex. 32.* *5. Phyſ. tex. 9.* *8. Phyſ. tex. 55.*

motio fit. nam calida recedente qualitate, frigida subingreditur, alioquin nunquam ex altero contrario, alterum fieret, illi uerò, qui dicunt non alterari qualitates, quia ipsæ in causa sint, ut corpus alteretur, & mutetur, falsa apertè dicunt. Sed cum Sophistæ sint, qui hoc asserunt, sintq; adeò stupidi, ut ipsum negare sensum nõ erubescant, eos in errore suo relinquamus, & firmissimum Galeni dogma sine cõtrouersia suscipiamus; quo probat Hippoc. Chrysippi, & Aristo. testimonio, quatuor, à quibus omnia generabilia, & corruptibilia proueniunt, esse qualitates. Humores ergo ex mutua dictarum qualitatum actione, seu passione originem habere dicuntur, & propterea ijsdem respondere uidentur; si enim coniungantur hæ qualitates, prout inter se cohærere possunt (combinatio a nonnullis appellatur, quatuor statim compositæ qualitates insurgunt: caliditas enim humido, & sicco coniungi potest; frigiditas similiter. Vnde caliditas, & siccitas flauæ bili respondet; caliditas, ac humiditas sanguini; frigiditas, & siccitas atræ bili, uel melancholiæ: frigiditas ac humiditas pituitę. Bilis verò cũ igne, sanguis cum aere, pituita cum qua; melancholia cum terra, circa qualitates optimè conueniunt. Ex humoribus autem & generantur, & augentur, & nutriuntur animalia. Sed alio modò fit nutrimentum, accretio, seu augumentatio in generatione; alio in matris utero, alio in reliquo vitæ tempore, ꝙ quàm breuissimè explicabo.

Gal. 1. de na. fac. 2 Arist. 1. cęli. to. 5 & 11.

De

De modo generationis. *Cap. XIX.*

DVplex est via in natura teste Galeno circa seminis eiectionem. Nam aut in vterum, aut in terram ipsius seminis fit proiectio, sed cum nobis de animalium generatione sermo sit habendus; ideò frugum, ac olerum omissa productione, quæ ad rem non facit, ad propositum nostrum deueniamus. Proiectum ergo semen, quasi artifex, halituosum ad se tenuemq; sanguinem trahit, & talem, ut conueniens sibi sit, ac propria materia, qui sanguis in omnẽ ipsiusmet seminis partem disperditur quasi ros, beneficio alteratricis facultatis, quæ in omnibus ferè motionibus cæteras naturæ facultates ex Arist. præcedit. Semen itaque velut artifex, ut iam dictum est, ex sanguine, ut ex conuenienti materia formam educit, ipsa simul formatrice facultate operante, cuius ope semen membrana quadam se circundat; postea ad animalis formationem ulterius progreditur. Cum igitur ita permanere minimè posit, sed adaugendo in molem accrescere debeat, propterea nouum ad se sanguinem trahit, ut ex nutrimento sibi magnitudinem adijciat. Hoc autem non simplici facit adiectione, sed rei additæ etiam assimilatione: quare primum naturæ opus est generatio, deinde auctio: augetur enim, quod factum est, generatur autem, quòd prius non erat. His visis, & cognitis humoribus, quibus in fętus formatione natura opus habeat; possumus colligere, naturæ opus uniuersum post fœtus formationem, usque ad eius exitum, nihil aliud esse, quàm ipsius fœtus particulas omnes congere-

8. physi. cap. 55.

re, &

re, & vt ita dicam conglutinare; quoniam concretum ibi non remanet ſemen, illaq; pellicula circundatum, atque ita informe, rudeq;, ut in primis reperitur diebus, ſed formatricis facultatis ope, multæ partes ſtatutis temporibus conflantur, quæ maximè inter ſe differunt caliditate, frigiditate, humiditate, ac ſiccitate; inſuper mollitie, duritie, grauitate, leuitate, & alijs, quæ à primis oriuntur qualitatibus. Quare generaliter dicimus, naturæ opus generatricem facultatem exercere: particulariter verò facultatem oſſificiam, ſanguïficiam, carnificiam, & alias ſimiles; quibus nominibus nobis uti liceat, ut apertius intelligamus.

Naturæ opera poſt fœtum editum.
Cap. XX.

EDITO itaque in lucem fętu, natura in vniuerſum eodem modo progreditur, vt ſcilicet partes illas ad perfectam magnitudinem perducat. Quòd præſtat ope auctricis facultatis, cuius proprium eſt, quaſcunque corporis particulas ſecundum omnem dimenſionem, per adiectionem, non per rarefactionem adaugere. Hoc verò ſine affluenti materia, vel ſine nutrimento non fit, ex quo aſſimilatio conſequitur, opus ſoli ſanè naturæ conceſſum: nam adiectio non ita ſe habet in ijs, quæ naturæ opera non ſunt. Fit enim augumentatio ſine aſſimilatione, vel certè etiam ſine adiectione, per rarefactionem tantum, & in multis etiam ſine alteratione; ut quadratum Gnomone circumpoſito; creuit quidem teſte Ariſt. alteratum verò nihil factum eſt. Aucto autem iam ad debitam magnitudinem corpore, opus naturę eſt, vt quantum

Poſt præd. 3.

fieri

fieri poteſt producatur. Hoc autem beneficio nutrimenti præſtat, quòd nihil aliud eſt, quàm appoſitio atque ijſdem corporis partibus aſſimilatio, ſed ſine amplificatione. Hæ igitur naturæ operationes, quibus non ſolum gignitur animal, ſed adaugetur, atque per uniuerſum, quòd uiuit tempus nutritur, exerceri ſine debita materia non poſſunt. Hoc igitur quomodo fieri contingat uideamus.

Quomodo fiat nutrimentum. *Cap.* XXI.

FOETVS dum in utero eſt, ſanguine menſtruo nutritur: cum autem in lucē exit, non amplius ſanguine menſtruo, ſed proprio ſuſtentatur alimento. Nutrimentum autem, illud, quòd actu nutrit ex Hipp. dico, quòd in corpore aptum iam eſt nutrire, quamuis appoſitum nondum ſit. At cibus potius æquiuocè dicitur nutriens. Vtrum autem nutrimentum ex ſolo ſanguine fiat, dum fit appoſitio, atque aſſimilatio ob id enim tam longè repetita eſt oratio, an ex aliorum quoque humorum concurſu, uidendum eſt. Si igitur ea, quæ prius ex Galeni ſententia dicta ſunt, memoria repetamus, ſolus erit ſanguis, qui nutriet, licèt cęteri humores nō ſint inutiles, ut paulò poſt patebit. Sed unum eſt, quòd maximam parit difficultatem, quoniam in uerbis Galeni apparet quædam inconſtantia, immo contradictio. Et hoc eſt, quòd plurimis in locis aſſerit, cibos à uentriculo, ut ipſis fruatur, alterari: id autem quòd inutile eſt ab ipſo expelli. In tertio enim de naturalibus, cap. 7. ita loquitur: Quod. n. in cibis optimum eſt, id in halitus ſpecie particulatim *Dub. in verbis Gal.*

ſibi trahit, atque in tunicis ſuis recipit, ijſdemq; adiun-
" git vẽtriculus; ubi uerò abundè ſaturatus eſt, quidquid
" reliquum nutrimenti eſt, uelut oneroſum aliquid reij-
" cit. Ex Galeni igitur ſententia non ſolum ſanguis quatuor participans humoribus, corporis partes nutriet; ſed aliqua corporis particula alimento à uentriculo alterato, priuſquam in ſanguinem tranſeat poteſt nutriri, ipſæ ſcilicet uentriculi tunicæ. Proprijs autem in verbis ſibi quàm maximè Galenus aduerſari uidetur. Alibi enim inquit. Vnum quoddam uidetur ſanguis,
" ſicut etiam lac. At mihi magis, hoc eſſe naturæ conſen-
" taneum uidetur, ut ex eo unaquæque particula, quòd
" ſibi conueniens eſt, trahat: atque nutrimentum, atque
" augumentum ex eo tendat. Cum ſcilicet in ſe omnia
" habeat, quæ particulas corporis ſingulas nutrire ualeãt.
" Hactenus ipſe. Placuit autem ipſa uerba referre, ut difficultas magis dilucidè pateat. Sed hanc minimè ſibi contrariam eſſe orationem, nobis demonſtrandum eſt. Quòd ut facere facilius poſſimus, prius quidem nonnulla conſiderabimus: poſterius autem, quòd rationi magis ſit conſentaneum ſubiungemus. Galenus inter

Solut. medicos, atque ipſe Ariſt. cum pleriſque philoſophorum, negant, animantia ſolo ſanguine, tanquam priuato humore gigni, ac nutriri: fatentur tamen, tum in generatione, tum in nutrimẽto, eo naturam ſanguine vti, qui licèt unus uideatur, in ſe tamen ſingula quæque cõtinet elementa. At de chylo, qui in uentriculo fit loquens Galenus, antequam in maſſam ſanguinis ingrediatur, illumq; humorum conſtituat aceruum, qui omne nutrire corpus ualeat, aſſerit uentriculum ab hoc eodem nutriri, & quòd reliquũ eſt, à ſe tãquam oneroſum expellere, & tandem à venis, atque hepate in ſanguinẽ conuerti. Clara mehercle ſententia, & rationi, ut uidetur maximè conſentanea, quàm non facilè quis ſoluere

quèat.

queat. Nam teste Conciliatore, ut ab eo incipiamus, nutrimenti ratio in assimilatione consistit. Sed chylus ventriculo assimilatur, cum in ipso, & per ipsum generetur. Vnumquodq; enim à suo simili generatur. Ideo cum chylus ventriculo per generationem sit maximè similis, ipsum etiam nutrire debet. Illa insuper ab eo nutriri pars debet, in qua perfecta fuerat concoctio: ipsa enim nutrimenti gratia fit: sed chylus est in uentriculo optimè concoctus: debet igitur ab eodem chylo nutriri. Non est autem ambigendum, nutrimenti naturam mutare formam, prout in parte nutrienda alteratur. Sic enim sanguis formam suscipit ab hepate: sic lac à mammis: sic medulla ab osse, neque est in cibarijs, vt falsò dicit Erasistratus, sanguis, aut bilis, aut pituita nisi ipsa à corpore alterentur. Quòd clarissimè patet in assumpto melle: nam si senibus exhibetur, nutrimentũ optimum fit: sin calidæ temperaturæ iuuenibus, procul dubio uertitur in bilem: est tamen idem mel. Vt ergo ad rem reuertamur, cibaria cum alterantur, debent alterantis naturam retinere, & ex ijs etiam ipsummet alterans nutriri debet. Et hac præcipuè de causa, ipse uentriculus, tam auidè cibaria appetit, neque hoc Galeni, & philosophorum aduersari sententiæ uidetur, asserentium animalia nutriri solo sanguine, cum solus uentriculus, quasi animatus sensumq; habens, cibum modo quodam singulari appetat, & differente ab alijs omnibus. Sed ne mea in longum protrahatur oratio, breuiter quid ipse sentiam explicabo. Stomachum ergo non nutriri chylo, nisi per irrorationem quandam, prout in ardentissima siti, aquæ præstare potus solet; mihi maximè uidetur rationi, & experientiæ conuenire. Si quis autem aquæ potum nominare nutrimentum uelit, is irrorationem quoque (sic enim à Galeno vsurpatur) alimentum poterit appellare. Sed nutrimentum in nutriti-

Gal. 2. nat. fac. c. 8.

substantiam transeat necesse est, ex communi omnium medicorum, ac philosophorum sententia. Quapropter nescio, quomodo hoc nuncupari nutrimentum possit. Quòd si tantopere cibum uentriculus appetit, id forsitan ob futurũ nutrimẽtum facit, uel quòd magis placet ob iam dictam irrorationem, qua peracta, chylus dimittitur, ut à iecinore attrahatur. Licèt enim chylum in se uentriculus generet, non tamen perfectam in eum formam introducit, sicut enim dicendum non est, os nutriri à cibo quem mutat: sic neque uentriculum à chylo. Mutat quidem os, mutat uentriculus, mutat deniq; hepar. Verum in hepate perfecta fit, & completa mutatio. Cibus enim modicam in ore mutationem, in uentriculo verò satis insignem; at in hepate extremam alterationem, & perfectam suscipit concoctionem. In hac igitur extrema mutatione, talis est perfectio, ut ulterius ad futurum nutrimentum parandum progredi natura non possit: in prima autem, adeò illa est imperfecta mutatio, ut nihil penitus per se corpori queat exhibere. In media uerò, res medio modo se habet: potest enim in halitus speciem cibum conuertere, & non quidem nutriendo simpliciter, sed partem illam halituosam ventriculi tunicis adiungendo; quoniam quòd iam, ab ipso fuerat alteratum, ipsummet uentriculum commodè recreare potest: non autem eo modo, quo fit, quando uentriculus, ut deperditum restauret, à minoribus venis sanguinem exugit. Hoc enim uerum est nutrimentum, illa autem irroratio, & recreatio. Experientia etiam cõpertum est, ventriculum à chylo non nutriri, cum sæpè uitiata sanguificatione contabescat, nulla in eo notatu digna obseruata læsione. Subdit verò Galenus. Et quòd reliquum est, quasi onerosum dimittit uentriculus. Ex quo cęteræ corporis partes quasi per accidens nutriri videntur, cum id, quòd relinquitur, veluti superuacaneũ,

ac onerosum, cęteris sit particulis nutrimentum. Verum animaduertere operæpretium est, uentriculum rationale non esse animal, ut cęterarum partium, aut inopiam, aut commodum dignoscat. Satis est enim hoc in uniuerso naturam intellexisse. Quòd enim onerosum est uni particulæ, utile est alteri, ex eodem Galeno; Quòd si diximus superius uentriculum cibum appetere ob futurum nutrimentum, hoc ex aliorum, non ex nostra sententia attulimus. Stat ergo firmissima medicorum, ac philosophorum sententia, corpus sanguine nutriri, non ut priuato humore, sed ut quodam temperatissimo nutrimento: in quo nec à frigido calidum, nec humidum à sicco superatur, sed æqualiter ijs ferè quatuor primis qualitatibus præditus est. Cum autem ad singulas particulas per uasa transmittitur, non omnes unico modo ab ipso nutriũtur, sed singillatim unaquæque, quòd sibi commodum est, ab hac temperatissima compositione desumit, atque in se conuertit. Gal. in li. Hipp. de na. hum. com. 39.

Quid præstent cæteri humores in corpore. *Cap. XXII.*

DVBITABATVR superius, quidnam in corpore, si solus sanguis nutrit, cęteri præstent humores. At si eorum usum cognoscemus, dubitatio è medio sponte euanescet; Incipiamus itaque à pituita, qua, dempto sanguine, magis, quàm duplici bile natura, ut infra patebit, uteretur. Verum hoc loco non intelligo, nec pituitæ, nec utriusque bilis minimas differentias enumerare, sed eas tantum, quæ nostro inseruire negocio possunt. Pituita ergo altera est naturalis, altera uerò non naturalis: non naturalis

pi-

pituitæ differentias nunc relinquamus. Naturalis autem ea est, quæ quodam temporis spacio, apta est in sanguinem transire, cum sit sanguis non perfectè concoctus. Et ideo huic humori ex Galeni in libro de natur. facul. sententia priuatum receptaculum natura non assignauit, quoniam ab eo ob similitudinem, quàm cum sanguine habet, particulæ omnes, dum ipsa sanguini miscetur, nutriri possunt; sed præcipuè à particulis, quę temperamēto sunt infra sanguinis calorem, attrahitur. eius usus etiam est, ut omnibus partibus propinquus sit. Et hoc quoniam quandoque euenit, ut sanguinis administratio non sit adeò ex tempore, ut particulæ postulant: in quo casu, ut optimè Auic. declarat, sanguinis loco in nutrimentum pituita succedit. Sed non quocunque modo, ne contra sententiam nostram de modo nutrimenti falsum aliquid terminare cogamur. Sed hoc contingit, dum à venis exinanitis pituita gradatim attrahitur; & ipsemet venæ ex calore suo formam sanguinis in pituitam, ut nutrire ualeat, introducunt. Vtitur etiam hoc humore natura, quoniam humectat articulos, & alias, quæ plurimo motui obnoxiæ sunt partes; ne scilicet exiccentur, ad tabemq; deueniant. Bilis autem flaua, & ipsa duplex est, naturalis, & non naturalis. De non naturali sermonem non habemus. Naturalis uerò, quæ usui animalium dicitur esse, ab hepate originem trahit, estq; sanguinis spuma. Hæc statim à suo generationis exordio in duas diuiditur partes; quarum altera sanguini miscetur, atque per uniuersum corpus effunditur: altera uerò ad uesicam felleam transmittitur, quę cum sanguine per uniuersum corpus sit diffusa, Primò præstat, ut simul cum admixto sanguine eas nutriat particulas, quarum temperamentum est biliosum: deinde sanguinem magis subtilem reddit, & ad penetrādum idoneum. Cum debeat multas particulas nutrire,

Aui. li. C. f. 13. t. 5. c. 8.

quo-

rum uiæ ſunt admodum anguſtæ. Quæ verò portio ad felleam ueſiculam tranſit, hoc præſtat, ut uniuerſum corpus à ſuperfluitatibus mundet, & ut ipſum bilis receptaculum nutriat ex Auic. ſententia, quòd tamen mihi non ſatis conſtat; expurgat inſuper inteſtina ab omnib. excrementis, & uiſceris præcipuè, irritatq; ſua mordacitate virtutem expultricem, ut ad eijciendas ſuperfluitates inſurgat. Melancholia pariter, quæ etiam dicitur atra bilis, aut eſt naturalis, aut non naturalis. Naturalis omnium medicorum ſententia fex ſanguinis eſt, ſiue pars illa craſſior, quæ fit, dum ebullit in hepate ſanguis. Hæc ſemper ima petit, atque ex ipſa, ſicuti ex bile, duæ fiunt partes. Altera ſimul cum ſanguine per corpus differtur, ut eas nutriat particulas, quæ melancholico temperamento præditę ſunt; atque etiam ut ſanguinē, ubi opus eſt ſiſtat, coarctetq;, & minus fluidum reddat: altera ad lienem defluit, ea ſcilicet, quàm natura, tanquam ſibi nō amplius neceſſariam reſpuit, & ſic ab hoc humore ſuperfluo ipſa liberatur. Circa quòd membrū duo præſtat. Primò, ſua puriori portione ipſum nutrit; deinde illud, quòd remanet ad ſtomachi os tranſmittit, ut corroboret ipſum, atque reſtringat famemq; ob acredinem excitet. His poſitis manifeſtè colligimus, non eſſe in natura humores ocioſos, ſed quamuis re uera ſola maſſa nutriat ſanguinea, ſunt tamen maximè neceſſarij alij humores, ſed illuc peruenimus, quo noſtra tendebat oratio: Videamus igitur quiſnam humorum ſit naturæ maximè accommodatus, & quo ipſa maximè utatur. Hoc autem vt dilucidè haberemus, hæc neceſſariò iecimus fundamenta.

Quisnam humorum sit naturæ magis accommodatus, & quo natura vel maximè vtatur.
Cap. XXIII.

SANGVINE proculdubio natura magis vtitur, neque de hoc esset ambigendum, cum non solum ex omnium medicorum, ac philosophorum sententia clarissimè luceat; sed causa etiam ex his, quæ à nobis de animalis nutrimento dicta sunt satis patens, & manifesta est; Verum uno excepto sanguine, quisnam secundo loco magis sit familiaris humor, magisq; abundet, explicare conabimur. Verum enimuerò, si ea, quæ de humorum officio superius à nobis dicta sunt perpendamus, sine controuersia dicemus esse pituitam. Licèt enim copiosissimus humor sit, ita naturę tamen gratus est, ut alter ueluti sanguis pro receptaculo vniuersum corpus habeat, eo quòd tam onerosum naturæ non est excrementum, ut ipsi necesse sit, illud tanquam noxium ad propriam cloacam detrudere, sicut de vtraque efficit bile, quæ quia onerosæ sibi sunt, ad proprias sedes eas propellit. Pituita uerò ubique detinetur, ut possit in sanguinis defectum subsequi statim, optimumq; conficere nutrimentum. esse autem in corpore copiosam, præter illud, quod multis in locis dicitur à Galeno ratio quoque nobis facilè persuadere potest. Pituita enim sanguinem ferè semper in generatione præcedit, & licèt in pituitosis cibarijs hoc semper consequatur, idem etiam, ut plurimum in nonnullis alijs contingit, & in ijs præcipuè, quæ salubria naturæ maximè sunt; quod testatur Galenus, dum loquitur de pane Condro, & similibus. Quidquid igitur in sanguinem

transit,

transfit, aut totum; aut certe magna ex parte iam fuit pituita. Sed cùm pituita, ut superius à nobis expositum fuit, quandoq; à Gal. dicatur, quidquid frigida, aut humida facultate præditum est. Nunquid non hoc loco sermonem habemus de ipso humoris genere vniuerso? Alibi autem crassum, & frigidum succum, crudum humorem appelat, cùm pituitam crudum quidem, ac frigidum, non tamen crassum esse statuat humorem, nos uerò de succo naturali, ut hoc secundo loco Gal. facit; non autem de sputo, muco, & similibus loquimur. Succus igitur iste naturalis ante sanguinis generationem copiosus existens sanguinem in uenis cõcomitatur, tãquam satis aptus ad membrorum sibi in tẽperamento similium nutrimentũ; ut sunt nerui, membranæ, cartilagines, articuli, & alia motui deseruientia membra; quemadmodum apertè declarauit Galenus in ea breui annotatione, quàm de dogmatibus Hipp. conscripsit. Est igitur pòst sanguinem pituita copiosior, licèt propriam non habeat cloacam, qua recipiatur, ut ab eius onerosa superfluitate corpus subleuetur; et per cõsequens maiori usui est ipsi naturæ, quàm cæteri, uno excepto sanguine, humores. Non est enim ad ipsam euacuandam natura prona, sed eam potius retinet, ut perfectionẽ acquirat, atque hoc pacto corpus nutriat; neque enim differt à sanguine nisi coctione. Propterea in huius humoris generatione sollicita natura maximè est, quod non præstat in una, neq; in altera bile. Neutra enim in sanguinem transire potest, teste Galeno; nam ex sanguine supercalefacto, flaua bilis generatur: melancholia autem fit ex eodẽ sãguine crasso, & assato. Concludendum igitur, naturã tanquam base ac fundamẽto, primò quidem loco sãguine, secundò autem pituita ad corpus nutriendum uti: & cum inter flauam & atram bilem hoc intersit,

Primo de alim. fac. c. 2.

Gal. 2. de nat. fac. cap. 9.

2. de nat. vic. in a-cu. 3.

ut illa ſit ſpiritualior, hæc quaſi fæx ac limus uſui ineptiſſima omnium; ideò tertium locum flaua, quartum denique atra bilis obtinebit.

Conſideratio circa febrium periodos. *Cap. XXIIII.*

SED quorſum hæc tàm longa, & tàm altè repetita oratio? non enim ingenij æſtus tàm procul ab ijs, quę à nobis propoſita fuere, noſmetipſos abripuit, ſed rerũ ſeries, atq; neceſſitas neſcio quædã, quæ paulò poſt patebit, de ſpatio, curriculòq; deflexit. Mihi enim prius propoſueram de febrium periodis diſſerere, ſed niſi præcognita eſſent ea, quę de humorum generatione, uſu, qualitate, ac quantitate à nobis dicta ſunt, ſententiam noſtram ſtabili, ac firmo fundamento facilè, prout noſtra eſt intentio, proferre non poſſemus. Cum enim modus ille philoſophandi, quo utitur maior pars eorum, qui hac de re locuti ſunt parum meæ conueniat opinioni; iccirco, ut rem hactenus ſubobſcuram patefacerem tam latè de his fundamentis ſermonem habuimus. Periodos ut uidimus, in humorum naturam referunt omnes, præter Galenum, ipſe autem uſque eò peruenit, ut ex humorũ motu poſſe periodos fieri manifeſtiſſimis demonſtrationibus oſtenderit. Verum cum negociũ hoc integrè ab ipſo diſcuſſum non ſit, ſi ipſum audiemus, ſpeculatio eſt imperfecta: ſin cęteros, res omninò acta eſt. Dicunt enim reliqui ferè omnes, poſt longas diſceptationes, occultam humorum naturam hoc preſtare. Sed non ſunt omnia incommoda repetenda, quæ ex hac ſententia oriuntur. Illud tantum in me-

dium

dium proponam, quòd a sanę mentis homine negari minimè possit. In unaquaque enim natura siue simplex sit, siue mixta, satis patet, multos qualitatum inesse ordines, quorum series ita manet, ut primis, ac manifestis ordinibus, secundi non repugnent, nec tertij, vt in igne; in quo inest caliditas, & siccitas, quæ ipsiusmet ignis constituere naturam uidētur. Hunc autem alius consequitur ordo, scilicet leuitas, subtilitas, mobilitas, quæ propterea in secondo loco collocantur, quia ex primis qualitatibus originem trahere uidentur. Quod de igne dictum est, de cęteris quoque elemētis potest intelligi. In mixtis idem etiam apparet, quod pluribus exemplis posset comprobari, sed satis erit exemplū de Rhabarbaro, quòd cum sit sui natura calidū, & siccū, ex hoc temperamento, quasi ex primo qualitatum ordine, oritur eius subtilitas, obstructionum reseratio, penetratio, leuitas, & cætera huiusmodi. Inest tertio loco uis deiectoria, quę licèt ex Mesuæ sētētia nō calidi, neque frigidi ratione, sed ex proprietate substantiæ sit attamen ex reliquorum opinione, & Galeni præcipuè quem Mesues sine ratione reprehendit, primarum in mixto qualitatum unita operatio, secundis, atq; tertijs, siue occultis, maximè uidetur conuenire, & ut propositis ab exemplis nostra non digrediatur consideratio, quis ignorat ex caliditate ignis oriri raritatē, ex raritate subtilitatem, ex subtilitate leuitatem? nemo ut arbitror. Quis ignorat ex elementali pariter temperamento Rhabarbari, aperiendi, rarefaciendi, penetrādiq; facultatem oriri? Quod si deiectoria facultas progredi aliundè uidetur, illud tamen negandum non est, uim illam attractoriam, pace Mesuæ dixerim, ipsum calidum temperamētum quàm plurimum adiuuare. Conspicuum enim est, unumquodq; medicamentum euacuans, esse temperamento calidum. Quoniam neque

Galen. 3 de sim. medi. fa. c. 24.

de Tamarindorum, neque de Caſsiæ fiſtulæ temperamento aliqua reſtat dubitatio; cum hæc non euacuẽt electiuè (utor enim termino ſcolæ) ſed leniendo aluum moueant, quòd multa etiam præſtãt edulia. Sed ad propoſitum reuertamur, cum de his ulterius diſſerendi non ſit hic locus. Manifeſtum ergo eſt, omnia, quæ occultas habere dicimus proprietates, quas ſpecifica rei forma mouet, à primis, ac ſecũdis qualitatibus iuuari, aut certè huic ſpecificæ formæ repugnare nunquam poſſe: operæpretium eſt igitur, hoc idem in humoribus reperiri; quod ſi ita eſt, quomodo fieri poteſt, ut per propriam formam moueatur quotidie pituita: bilis verò alternatim, quarto quoque die melancholia? Debet enim quilibet humor ſui ipſius intimã proprietatem, & paſsionem demonſtrare, quæ ſine dubio à proprio oritur temperamento. Sed quomodo pituita, quæ frigida, atque humida eſt tantoperè motui præcellet, ut bilem præcurrat? cur è contrario caliditas, atque ſiccitas, qualitates ad motum aptiſsimæ, retardant adeò bilem, ut neque cum frigidiſſima pituita cõcurrere poſſit in motu? Profectò ſi quis in tanta rerũ caligine inter philoſophandum quieſcat, & longius, aut ſubtilius ueritatẽ nolit inquirere, mirum non eſt, ſi in multas, & difficiles incidat queſtiones. His ergo humorum occultis proprietatibus omiſſis, quomodo paroxyſmorum fiat diuerſitas apertius demonſtrare conabimur.

Quo-

Quomodo ex humorum diuersitate uarij fiant paroxysmi. Cap. XXV.

CONSPICVA, atque dilucida oratione expositum est, pituitam utraque bile copiosiorem in corpore esse: cum ergo copiosa adeò existat, mirari non debemus, quòd frequentior ab ea fiat regressus, quã in alterutra bile, si contingat, ut putrescat. Postquam enim focus putrescentis pituitę a fulignibus liberatur, alia statim defluit materia, cum ipsa ob generationis facilitatem, & copiã, sit in ambitu totius corporis ferè semper parata, quòd de flaua bile non est dicendum, quoniam non ita redundat in corpore; nec quemadmodũ de pituita, eodem modo, & de ipsa, natura solicita est: & propterea si fieri biliosa febris debet, necesse est, ut biduum fere semper intersit, cum eius tantam natura non generet copiam, ut ad focum fluere, & putrescere, & incendere febrem possit, nisi illud quòd dictum est temporis spatium interponatur. Cum autem in flaua bile sic se res habeat, id multò magis de atra dicendum erit: nã pręter illud, quod à natura aliena fere est, aut certè minus in usu necessaria, est etiam temperamento frigida, & sicca, & iccirco duplici de causa tardissimè potest moueri, cum ob modicã quãtitatẽ, tum ob eius ad motũ impotentiã: quàre de quarto in quartũ mouetur. Hæc autem in morbis uera mihi periodorum his puris uerbis explicata uidetur causa, nõ syderum motus, non planetarum influxus (nisi eodẽ modo, quo cętera alia) non denique à iam dicta humorũ occultissima, & à nemine percepta proprietate moueri. Ego enim

nim ſyderibus multum tribuo, neque ignoro, quantũ in hæc inferiora cœleſtis uis operetur: ſed omnia in cœlum refere, atque ea etiam, quæ per ſe nota ſunt, ducere ad altiſſimas cauſas, cum in terris etiã degentes uitam, inueſtigare ueritatem poſſimus, mihi uel ingenij ſuperbia, ac temeritas, uel ſenſus defectus, & ingnorãtia uidetur. Sed niſi, quæ dixi, patebunt apertius, ego quoque inter eos connumerari potero, qui cum optimè ſe dixiſſe arbitrati eſſent, nihil noui tamen attulerunt.

Poſitionis noſtræ confirmatio. *Cap. XXVI.*

MEA igitur eſt ſententia, ſolam humorum copiam in cauſa eſſe, ut periodi citius, aut tardius regreſſum faciant; neq; occultam in hoc proprietatem, neque aliud quidquam, præter materię copiã de loco, ad locum defluentẽ concurrere. Quæ ſi multa ſit, teſte Galeno, grauitatem facit, ſi calida, calefacit, ſi acris, mordicat, & ſic de ſingulis. Quidquid enim extraneum eſt, aut ſua quantitate, aut ſua qualitate tale eſt. Qualitas humorum peccantiũ, ex reliquis febrium accidentibus dignoſcitur, quantitas autem ex repetitione. Sed ut hæc noſtra à Galeni dogmatibus omninò diſſentire ſentẽtia non uideatur, ipſum audiamus. Siquidem, inquit, tum prius ad ſuum
2. de diſ. fe. c. vlt. "opus excitatur, quando aut ſuperfluitatum multitudine aggrauatur, aut ex qualitate ſtimulatur. Binas tantũ Galenus cauſas enumerat, quibus expultrix uirtus excitatur, ut clariſſimis demonſtrationibus in lib. de natur. facul. declarauit: una eſt ſuperfluitatũ aggregatio,

tio, altera est eandem expultricem uirtutem qualitas excitans. Qualitas autem, quæ ipsam excretoriam excitat uim, hic locum non habet, quoniam febris non incenditur, nisi adsit humoris copia. Quid egro humoris specifica forma, quid membrorum labes præstat? Detur mihi humoris copia: extra proprium putrescat locum: fiat ebullitio, usquequò in halitus speciē dissoluatur; ibi nullus, aut exiguus reliquiarum remaneat cinis: supponatur nihil manere; & ꝓpter quā causam prius fluxiò facta fuerat, ob eandem iterum fiat: ergo febris accendatur secundò necesse est. Sed dicet fortasse quispiam, ex humoris fluxu coinquinatur pars, si non prima, saltē altera, aut tertia uice. Hoc nihil ad rem: nam huiusmodi affectio est in causa, ut fiant circuitus per plures uices, quia mala membri dispositio facilius suscipit, & facilius fluentes humores accendit, sed si nō fluant, nō fit incensio: quòd si mala dispositio sufficeret, cum semper etiam post aflationē, superfluitatis aliquid possit superesse, tunc febrilis semper calor adesset. Sed, ut uerè fatear, quid hac de re sentiam ipse: satis equidē non possum non admirari, quòd Galeni doctrina ab omnibus medicis tanti semper existimata, in hoc negocio à uiris prǽstātissimis, usque ad hæc tempora nō fuerit apprehensa. Sed illud mihi maiorē affert admirationem, quòd ea, quæ sensui patent, adeò difficilia esse uideantur, ut de quadratura circuli, aut de syderum epicyclo; uel (ut cum Poetis loquamur) de sphingis oraculo, quę nihil cum hac speculatione conueniunt, exquirere uideamur. Sed ut ad rem redeam, nullum dubium est, quin sufficiat humoris copia ad excitandā uim expultricem, ut quòd noxium est eijciat, & pellat. Cæterum, dubitabit for-

quòd ex tam inueterata obſcuritate adeò cœci facti ſimus, ut huius ueritatis lucem aſpicere non poſſimus. Nam in corporibus ordinarijs ſemper ferè febrē pituita gignit quotidianam, bilis tertianam, melancholia quartanam; ſed non tamen ita ſemper, ut ſine ulla temporis uarietate hoc fieri neceſſe ſit, & ſepiſſimè quidē accidit, ut ex medicorum inſcitia biliosa febris pro pituitoſa accipiatur, ſicut è contra, quæ à pituita pendet, ex bile oriri credatur, cum temporum interualla ſolummodo obſeruent, non autem febrium naturam. Sed reliquum eſt, ut triplici fundamēto nouam hanc opinionem confirmemus. Quæ tamen non eſt adeò noua, ut etiam excogitata nō ſit à uiro quodam excellentiſſimo qui hís tēporibus inter omnes totius Europę medicos (pace aliorū id dictum uolo) facilè princeps appellari poteſt. Cui cum hanc meam ſententiā ipſe expoſuiſſem, nō modo ſe ab ea nō diſcrepare faſſus fuit, uerum etiam eam, cū oportuerit declaraturū pollicitus eſt. Primò igitur ratione. Secūdò auctoritate. Tertiò experientia, propoſitū aſſequi conabimur.

Hercules Saxonia.

Rationes poſitionem noſtram confirmantes. Cap. XXVII.

PRæſtat igitur in primis racionib. cōfirmare propoſitionē noſtrā, quę manifeſtiſſimè patebit, ſi ea quæ de generatione, natura, ac uſu humorū ſuperius dicta ſunt, perpendemus: nam ſi ſola humorum quantitas, & qualitas naturam in omnibus ad expellendum noxium irritant, idē etiam in febrium periodis fieri neceſſe eſt: dum enim tanta ad focum materia confluit, ut putreſcere ualeat,

ſtatim

ſtatim fit ebullitio, ex qua putridus humor in halitus ſpeciem reſoluitur;& quoties denuò fit fluxio,noua pariter fit accenſio: quantitas ergo, & qualitas ſolæ ſufficiunt. Sed dicet aliquis,at non ſola copia eſt in cauſa, ſi etiam qualitas putrida concurrit. Mirabile argumentum;nonne loquimur de febribus putridis? hæc in febribus intermittentibus eſt adeò inſeparabilis conditio, ut nulla unquam reperiatur intermittens ſine hac conditione, de qua omnis tollitur dubitatio. motus autem celeritatem,& tarditatem, ex hac putrida qualitate oriri neceſſe eſt, hæc enim qualitas ſine præſentia humoris non poteſt adeſſe. Dubitationes etiam multæ aliæ ſolent adduci, quas omnes recenſere longũ eſſet. Scio equidem nonnullos excellentiſſimos uiros hanc noſtram ſententiam forſitan oppugnaturos, ſed nulla tamen cum ratione. Quocirca, ſi in extrema hac oratione non omnes recenſebo opiniones,quæ in hac cõtrouerſia, quamplurimæ adduci poſſunt; polliceor tamen ijs me obiectionibus reſponſurum,quas hoc loco enumerandas præcipuè non cenſeo. Primò itaque ſi dicat aliquis,cur ſic determinatè humores moueri contingat,ut ſcilicet vigintiquatuor horarum ſpatio pituita non prius,nec aliter: bilis uerò alternis diebus, ſed quarto quoque die melancholia? Huic dubitationi ſimul & ipſe dubitans reſpondere paratus ſum. Quæro autem,cur uariæ ætatis hominem caneſcere in ſenectute contingat? eadem enim eſt quæſtio,eadem ſolutio, ſicut enim non annorum curricula, ſed temperamenti

nam dicimus sexagenarium hominem, ut plurimum canescere, cum tamen multis ante quadragesimū hoc contingat, & multi reperiantur, qui ne post octuagesimum quidem annum sint omninò cani. Hoc idem de humorum motu, ac generatione dicendum est. Satis est autem intelligere (ut apertius à nobis superius demonstratum est) in primis abundare pituitam; quare si ob eius copiam, uel aliam ob causam putrescat, circuitus suos ante reliquos repetit: inde bilis, postremò melancholia. Inuestigare autem, cur sine errore singulis uigintiquatuor horarum spatijs moueatur pituita: cęteri uerò diuersis, & præfixis temporibus; hoc adeò inanè est, ut nihil esse possit inanius. Hac fortasse de causa Galenus rei medicæ peritissimus, idonea oratione sibi terminasse uidetur, dum scriptum reliquit, eo tempore vim expultricem moueri, quum humoris aggrauatur copia, contingit enim, ut pituita citò generetur, quoniā de eius præsentia solicita natura maximè est; ideò quā primum ex chylo generat ipsam, sed hoc tam citò fieri non potest, ut in hoc labore, iam dictum ferè semper non interponatur spatium; quod ex obseruatione, & à posteriori, ut dicetur repertum est, non autem ex certa demonstratione. Fieri enim potest, ut corpus aliquod reperiatur tam longe à naturali statu recedēs, ut ipsi in generatione, aut commotione nullo pacto tempus prę dictum obseruare contingat. Quocirca maxima equidem afficior admiratione, quòd tot præstantissimi uiri, qui ante hæc secula, nostrisq; temporibus floruere, adeò hallucinati sint, ut regulam, quæ ex leuissima causa alteratur, tanquam stabilem conati sint ponere; & dum de hac re disceptant, illud non desinant dubitare, quod stabile, & firmū iam sibi proposuerant; immo ex falsissimis suis suppositionibus noua sēsper moueāt

du-

dubitationes. Dicunt enim si copia humorum regulat circuitus, necesse est, ut in quo corpore magis abundat bilis, in eo citius fiant paroxysmi, & sic de alijs humoribus, sed cum hoc falsum sit (negant enim uerum esse, quod ignorant, ut apertius uidebimus infra) sequitur periodos non citius fieri ex abundantia. Prȩterea, si hũc quantitas produceret effectum, sequeretur copiosissimas reperiri febres pituitosas: Cum hic humor uno excepto sanguine in corpore sit abundantior. Hi autem non considerant, neque perquirunt, quàm solicita in huius sit humoris conseruatione natura: non enim sicuti testatur Galenus, sanguinea reperitur febris, cum in ipso sanguine fons uitæ consistat. Vnde sicut non permittit natura, ut aliqua eius particula, quȩ casu intra sanguinis temperamentum putrescat, perduret diutius, ne reliquum sanguinis corrumpatur: ita etiam in corporis ambitu raró putrescere pituitam contingit; quod si eueniat, ea quàm diximus, subsequitur febris. Sed tempus est, ut ad peritissimorum hominum auctoritates, mea se referat oratio, quod secundo loco proposuerã.

Auctoritates Propositionem comprobantes.
Cap. XXVIII.

Melancholia, inquit Auic. generat quartanam, non propter hoc ipsum, quod ipsa sit melancholia, immò propterea, ꝙ

» res ampla, & rarò sit possibile, ut necessariò consequa-
» tur eius contradictio, & cætera. Sed clarius alio loco
demonstrat non humoris naturam, sed eiusdem copiã, aut multam, aut paucam, esse in causa, ut temporum interualla in febribus uarientur. Ait enim cum de phleg-
F.1.li.4. t.2.c.49 mate loquitur, quod mouet epialam. Et ipsa secundum
» plurimum addit omni die. Verum propter grossitiem
» materiæ suæ conuertitur quandoque in quartanam, &
» tertianam, quoniam huiusmodi materia in corpore est
» pauca, & paruæ putrefactionis; accidens rarò, & pauci-
» tas eius est ex causis elongationis periodi; & hoc non
» extrahit eam ab hoc, quin sit phlegmatica, quoniam ip-
» sa est phlegmatica, quoniam putredo eius est putredo
» phlegmatis, non propter quod paroxysmus redeat om-
F.1.li.4. T.2.c.1. ni die: His duabus auctoritatibus addo tertiam, quæ huiusmodi est. Et quando non remanet in humore a-
» dusto per putredinem caliditas, destruitur febris, quo-
» usq; aggregetur uice alia ad locum putredinis. Ex qua
» obiter dicamus, inanem esse illam coinquinamenti tam
» celebratam sententiam. Necesse est.n. ut altera uice ad
» locum putredinis aggregetur humor. Sed ad propositum redeamus. Dicat nunc doctissimus Fernelius, tantum excrementosæ materiæ non esse tribuendum, ut regulatum periodum seruet. Respondetur.n. non esse excrementosas materias absolutè has, quę putrescunt, sed humores, & licèt humores, dum putrescunt, in suo naturali statu amplius non sint, suscipiunt nihilominus incrementum ab humoribus naturalibus, qui dum irruunt ad putredinis focum, fiunt pręter naturam, atque etiam excrementitiæ alicui materiæ associari possunt. Vrgebit iterum Fernelius, dicens, tam exiguam pituitæ quantitatem accumulari posse, ut quotidie non putrescat. Hoc tibi libentissimè concedit Auic. At id minimè apparet, inquis, & propterea dicendũ humoris na-

turam, non excrementi exuberantiam motum præstare: ita. n. in mēstruis mulierum apparet, ita in epilepsia, ita in alijs nonnullis. Quid asseris optimè uir? certè, aut de experientia dubitandum est tua, quod tamen non licet: aut ea tu hoc loco fateri non uis, quæ quotidie practicam exercentibus sine controuersia patent. Consistamus in proprijs exemplis tuis, qui epilepsia laborāt, si errores in uictu committant, nonnè frequentiores in his fiunt accessiones, quàm si ab eius norma, & ratione non deerrauerint? nonnè sunt mulieres, quæ cum sanguine abundent, nunquam menstruale tempus expectant? sed nonnullæ singulis duabus hebdomadibus aliæ singulis tribus, aliæ alijs temporibus ex utero sanguinem emittunt? hoc tamen, ut docet Gal. euenit, non quod huius, uel alterius sit temperamenti materia, sed ob cōgestionis quantitatem. In ipsis quoque febrium accessionibus, nonnè ex ægrotantium errore, ut Gal. testatur apertissima circuituum fit alteratio? cum. n. in corpore tanta materiæ reperitur copia, ut expultricem irritare uirtutem queat, nulla addita proprietate, ipsa ut à re nōxia sese exoneret, insurgit. Ego enim in humorum motionibus, tempus quidem obseruare naturam; & ut plurimum singulos humores certo tēpore, sicuti animaduersum est, moueri non nego, sed dicere absolutè, ut cum humor biliosus peccat, motus necessariò fiat alternis diebus, adeò à ueritate est alienum, vt sæpissimè experientia contrarium manifestet. De qua, ut rem stabilem habeamus, sicut tertio

Confirmatio Propositionis per experientiam. C.XXIX.

SI appareant febres biliosæ, quæ aut alternis, aut singulis diebus moueantur, hæ proprijs ex accidentibus cognosci possunt. Vt si quotidie insurgunt, tamen ex vehementia, uel mutatione symptomatum, atque etiam ex horarum alternata uicissitudine, non unam, sed duas esse tertianas ostendunt; in quibus autem, uel duplices, uel simplices sint, raròadmodum sine horarum uarietate biduum interponatur; hoc teste Gal. multoties ab extrinseco ægrotantium fit errore. Sed quũ abest error, quomodo hæc varietas consequitur? sæpè. n. obseruatum est, quasdam febres, nulla aut in uictu, aut in cęteris facta alteratione, accessionem per plures dies spatio unius horæ præmittere: quasdam duarum: quasdam trium, & ꝙ magis mirabile est, nonnullas etiam decem, & duodecim horarum spatium præuenire, & anticipare. Quid hoc est? an ab humoris forma hæc fortè euenit alteratio? si res ita se habet, fiet conuersio duorum, aut trium dierũ interuallo humoris biliosi in pituitosum. Quoniam si humoris formam indicat motus, magis pituitæ quàm bilis naturam sapit. At quisnã inter medicos adeò inops consilij est, ut febres, quæ consuetum præcurrunt tempus, pituitosas esse iudicet, cùm in his, ut plurimũ symptomatum, & reliqua omnia febrem biliosam esse ostẽdant? nam corpus, cum maximè abundat bile, licèt ob medicorum diligentiam, uel sola vi excretoria operante, fiat à principio copiosa humoris euacuatio, biliosi tamen humoris aceruum ostendit adesse, cum ipsum citius ad focum transmittat, quàm consuetum interuallũ requirat: & hoc sine humoris formæ interuentu cõtingit, aut auxilio coinquinamenti. Si. n. coinquinamentũ

in

in causa esset, cur humores pituitosi citius, quàm cęteri mouerentur, tunc motus in tertiana notha frequẽtior deberet esse, quàm in exquisita tertiana, cum tamen cõtrario modo quàm sæpissimè res sese habeat: in puris. n. tertianis motus celerior fit, quàm in spurijs, idem etiam de humoris forma dicendum est, quòd si efficere posset hæc, ut hoc uel illo tẽpore succederet motus, dum aliquorum fieret humorum cõmixtio, illorum necessariò naturã humorum saperet motus, qui in ipsa mixtione concurrissent; & ideò dum bilis pituitæ permiscetur, febris ex his proueniens singulis trigintasex horis sine errore, & uarietate faceret motum. Sed ne longius iusta nostra procedat oratio, affirmãdum omninò est, non aliam in circuituum temporibus reperiri rationẽ, quàm humoris, aut copiam, aut paucitatem, quæ tempora, dum æquale, & debitum in corporibus constat temperamentum, satis regulata esse uidentur. In his verò corporibus, quæ aut ex generatione, aut ex aliquo accidente à naturali temperamento recedunt, illa ob corruptos humores consequens mutatio, tam uaria, & multiplex est, ut sanæ mentis homines intelligere facilè possint, solam, & ueram circuituum causam produci, & suam originem trahere, ex ipsa quàm supra exposuimus humorum quantitate. Quòd licèt alijs quàm plurimis, & rationibus, & auctoritatibus mihi comprobare facilè esset, attamẽ rei satis apertę superius expositæ non diutius immorandum censui. Verum cum de quotidiana febre, quàm superius testatus sum negari non